Surgeon General's Office
LIBRARY.
Section, 16th Cent. Coll.
No. 58871

Msc

Epid.

MARSILII

FICINI FLORENTINI MEDICI

atq; Philosophi celeberrimi, de Vita libri Tres, recens iam à mendis situq; uindicati.

QVORVM

Primus, de Studiosorum sanitate tuenda.

Secundus, de Vita producenda.

Tertius, de Vita cœlitus comparanda.

Apologia.

HIS ACCESSIT,

Eiusdem Epidemiarum antidotus, tutelæ quoq; bonæ ualetudinis attinens.

Cum omnium nouo rerum atque locum Indice.

LLR
458871

BASILEAE, APVD IO. BEB.

ANNO M. D. XXIX.

ad. 25044 qgb

GENERE ET VIRTVTE IVXTA nobili illustriq; Domino RENHARDO Comiti Liningensi ac Vuesterburg, Andreas Leennius S.



VVM nullum genus hominum, uitæ nedum sana, uerum & longa sit dignius quàm literarum studiosi, ut qui ex optimorum placitis autorum sibi bene prudenterq; uiuendi normam parârint, reliquis quoq; rerum publicarum futuris administratoribus, eam ceu per manus tradere, & iuuenũ animis possint instillare: tamen nescio quo fato siue errore id fiat, ut ij cæteris breuiorem sortiantur uitam, multi superstites ualetudinarij degant tamen: plures sanitatis suæ negligẽtia ἄϊδι προιάπτα, ut ubiuis id nobis acceptum referri facilius patiar, quàm in Deos culpam refundi, pro ipsis cum Homero inquiens:

Ω πόποι, οἷον δ' Ἰλιόν θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωντο.
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι καὶ ἔμμεναι, οἱ δὲ νῆ αὐτοί.
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον, ἄλγε' ἔχουσιν.

Huic errori, generose Comes, facile mederi posse, olim te mihi dicere memini, adq; id operæ tum primum me destinaras. Quum uero necdum urgere cesses, idq; nõ tui solum, uerũ etiam omnium studiosorũ nomine, hanc me prouinciam capere uelis, age libuit huic utili imperio morem gerere. Et quod omnibus modis contendis,

ut me indice, studiosorum consultum fiat salubritati, eiusce rei quandoquidem ita uis, actionem suscipio. Is certe labor nos diu satisq; exercuit. Excussa tandem professionis nostræ libellorum quantulacunq; supellectile, hos tibi deligo Marsilij Ficini de Vita triplici libros. Autor profecto mihi uisus, iudicio tuo acri non indignus, & qui multorũ teratur manibus studiosorum peraccommodus, si à blattis tineisq; liber, emaculatior prodeat in lucem. Quæ enim eius autoris in publicum hucusq; sparsa sunt exemplaria, adeò mendis referta sunt, ut eorum quæ bene scripta, nullus propémodũ sit usus. Nos secus, tanti uiri lucubrationes à carcinomatis liberas, in publicũ edendas curauisse, æquus Lector facile deprehendet. Præter operas, additi sunt charactêres supra modum elegantes, Ioannis Bebelij solertis chalcographi. Quorum iam tibi gustum præbere uolens, ab unguibus leonẽ quod dici solet, ea quæ parturit, æstimanda in medium unà dedit. Porrò hoc opere tibi conciliando, non est quod uehementer anxij simus, quũ id epistolaris nõ ferat angustia, & res αὐτῆ σεαυτῆρ ἀὐλεῖ. Marsilij iudicio amplißimo Angelus Politianus inquit, ceu Orphei cithara Euridicen, ita illius, Platonicã sapientiam ab inferis reuocatam. Demum illius laudes hoc disticho est executus:

Mores, ingenium, Musas, sophiamq; supremam
Vis uno dicam nomine, Marsilius.

Is ea quæ iugi litterarum cognitione, improbis sudoribus, longa æui prudentia experientiaq; adsecutus, Medicinæ hæc præcepta studiosis maxime salubria, hoc exiguo fasce sic appositè iunxit atq; fœdere nexuit, ut dubites (rem fixius æstimans) num maiore id fieri potuerit solertia. Trifariam uitæ prospiciens tribus hisce libellis, quanquam singulis seorsum & sine altero suus maneat honos, ita tamen alter alterius partes tuendas suscipit, ut διαμάχεσθαι γηρυόνῃ τεξαπτήλῳ magis tutum fuerit, quàm horum compagem atque societatis nodũ dissoluisse. τοῦτοις ἐπιγίνεται De passim grassantibus morbis, Liber non minus quàm cæteri bonæ tuendæ ualetudini utilis, quem nos addendum censuimus ueluti auctarium, ueriti ne quod ille tanta industria orbi consulens, in mediũ protulerit, tempus edax rerum, absorberet. Quantum uero nobis exantlatum sit uigilarũ in hoc autore pristinæ dignitati restituendo, dicere supersedeo. Quibus carcinomatis atq; uomicis cicatrices induxerimus, is facile perspiciet, qui nostra ueteribus est collaturus, quem penes iudiciũ esto. Illustrissime Comes, tu non modo dignus cui has dicem opellas occurristi, sed planè uisus es aptus, ut qui simul ubi nactus aliquid ocij fueris, id libẽter te in eius generis lectione omne positurum, compertũ habeam. Id uero ipsum in literis præstas, ut si quis politiori humanitati faueat, ab eo tibi uere gratulandum existi-

mem. Texercem hic tuarum uirtutum fusiorem catalogum, nisi tecum agerem, qui sciam immoderatioris te laudis contemptorẽ, & esse bonus potius quàm uideri mauis. Mihi autem uolupe est, quum me tanti abs te fieri perspiciam, ut tua humanitate non modo ad altiora conanti addas animum, uerumetiam nihil tale promeritum, magnificentia tua iuues. Scio equidẽ nihil in me esse eiusmodi, quod te ista generositate atque dignitate uirum, ad amicitiam meam expetendam adducere debuerit, non tamen omittere possum, quin isto tuo uel benevolentiæ uel iudicij testimonio delecter plurimũ, & de eo etiam tibi gratias agam immortales. Ex hac re facile quoq; intelligo, quàm non sim expectationi de me tuæ responsurus. Cui tamẽ, uti spero, satis à nobis quo quo fiet modo, si uel perpetua grati animi memoria, uel ullo studiorũ nostrorũ fructu testimonij tui laudem sustinere atq; tueri potero. Vale felix Studiosorum Mœcenas, & hanc nostrã opellam boni consule.

INDEX TOTIVS HVIVS ENCHIRIDII NOVVS.



Acida & stypti ca cõfortãt stomachum. 27
Aegrotantis amor fidesq; erga medicum plurimum confert. 216. 217
Aëris electio ad uitæ longitudinem. 66
Aër temperatus serenusq; studiosis usui. 25
Aër à Sole tenuatur. 16
Aër nocturnus uitandus. 70
Aër qualis ambiẽs talis in nobis euadit spiritus. 103
Aëre spiritus nutriri. 101
Aër præcipuum alterans corpus. Ibidem
Aër nocturnus spiritibus inimicus. 160
Aër uenenosus, quomodo accipiendum. 265
Aëre puro pestis non consistit. 264
Aetates quinque. 88
Aetati cuilibet iuxta Lunæ tempora consulendũ. 147
Aetites lapis partum cit. 170
Agarici uis & laus. 311. 315
Alectorij lapidis uis ex Dioscoride. 185
Alimenta aurea. 76
Alimenta euchyma. 58
Alimentis utendum non facile putrescentibus. 66. 67
Alimenta similia, corpori simili conferunt. 122
Aloë lota. 67
Aloë efficacia. 29
Aloëticæ pilulæ. 29. 30
Aloë substantia proba. 284
Alui astrictioris remedia. 97
Ambræ facultas. 74
Ambra & muscus stypticam habent uirtutem. Ibidem
Amygdalinũ lac melancholicis esto familiare. 25
Amygdalinum lac studiosorũ mensis familiare esto. 45

Angelus Politianus. 257
Animum cogitatione intentũ corpus ferè deserere. 7
Anima prædita omnia uiuentia. 119
Anima spiritus fomes. 244
Animæ uirtus per quintam essentiam dilatatur. 121
Animorum duces. 2
Animalis uirtutis confortandi ratio. 145
Animalia nutrimenta futurá quomodo sagines. 65. 66
Animus adipe & sanguine suffocatus cœleste nihil per uidet. 15
Anima mundi & stellarũ dæmonumq; alliciuntur corporum formis. 117. 118
Anni Climacterici seu decretorij. 100. 109
Anni initium unde sumant Astrologi. 208
Annus septimus quisq; iudicatorius. 109
Anulos factos certo influxu, & stellarum nominibus appellatos, prisci magnificerunt. 150
Apollonius centesimum iam agens annum, iuuenem præferebat. 151
Apollonius anuli usu centũ annis uixit iuuenili forma. 151
Aquæ nitidæ aspectus studiosos recreat. 26
Argentum subijci Lunæ. 193
Aromata cordialia. 74
Aromatica cordi alimentum suppeditant. 100. 101
Artium experimentum fallax. 50
Ars perfecta, nisi uitæ longitudine non contingit. 50. 51
Aspectus oppositus. 156
Astrologos de stellis uitæ consulendos esse. 110
Astrologia Medico necessaria. 158
Astronomica diligentia in uitæ actionibus laudatur. 240

Astrorum minas cassari prudentia & temperantia. 110
Atræ bilis proportio. 10. 11
Atra bilis duplex. 9
Atræ bilis morbi. 10
Atræ bilis noxæ. 34
Atræ bilis uitandæ præcepta 23. 24. 25
Atra bilis quomodo ingeniosos faciat. 12. 13
Atra bilis quo pacto cõducat ingenio. 12. 13
Atra bilis ingenium labefactans, non repente educẽda, sed paulatim. 34
Atra bilis terræ assimilatur 6
Atræ bilis curatio. 34. 35. 36
Atræ bilis qualitas & remedia. 24. 25
Auicennæ dictum. 278
Aurum Ioui & Soli attinere 193
Aurum esse Soli simile. 127
Auri facultates. 76. 318
Auri potabilis descriptio. 76
Auri potabilis faciendi norma. Ibidem
Aurora studijs amica. 17. 18.
Autoribus legendis hora accommoda. 21

B

Balneandi opportunitas quæ potior. 157

C

Caloris ad humores tẽperatura. 53. 54
Caloris naturalis pabulũ. 52
Caniciei non omnibus idem tempus. 96
Canorum in iuuenibus ortus. 96
Canis rabidi morsus curatio. 78. 79
Cantus citharæq; facultas. 25. 26
Cantum afficere. 222. 225
Cantus solamen laborum. 95
Cantus & uerba magnã uim ad beneficiũ cœleste captandum habere. 217. 218
Capitis doloris medelæ. 31. 32
Capiti fouendo medicinæ. 81.

Capitis pectendi ratio literatis obseruanda. 21
Capricornus medicinis aducr sus. 157. 158
Carnium abusus interdicitur 63. 64
Carnes senibus salubres. 64
Catarrhi remedia. 31
Causæ humoris melancholici 5. 6. 7
Causa potentior, promptior ad agendum. 124
Cæpæ succo scriptas literas delitescentes, ignis prodit. 207
Chelidonius lapis curat melancholicos. 231
Christophorus Landinus orator. 257
Christus per cœlum animalia quæuis ad medicinam instigat. 253
Cibis adobrutus animus nihil tenue parit. 15
Cibus nimius speculationi officit. 15. 16
Cibus qualis & quomodo studioso sit ex usu. 26. 27. 28
Cibo sumpto non protenus lucubrandum. 26. 28
Cibi sumendi qualitas & ordo studiosis obseruandi. 26.
Cibi senum. 80
Cibi humidiores quibus sint condiendi. 67
Clysteres adhibendi ante uenæ sectionem. 40
Coctionem præ cæteris ubiq; curandam. 55. 56
Coctionem remorantia. 56
Coctionis necessitas & usus. Ibidem
Cœlum terræ maritus. 256
Cœli potentia in inferiora. 187. 188
Cœli figuræ efficacia. 196. 197
Cœlũ agere posse uel in corpora durissima. 190
Cœlum ipsum temperatissimum moderatur & temperat omnia. 211

Cœlum ſuis fauere inceptis 232.233.&c.
Cœlum quomodo agat in ſpiritũ, corpus & animã. 230
Cœlo ſimiliores, ampliores alijs dotes referunt. 231
Cœleſtium dona quomodo ad nos deſcendere dicamus. 231
Cœleſtiũ uultus, uires inferioribus imprimẽdi habere potentiam. 194.195
Cœleſtibus nos ſeptem modis accõmodare poſſumus. 225
Cœleſti poteſtate & radiorũ uiribus imagines putantur uim ſortiri. 187.188
Cœna ſumpta, hora una uigiliæ ſat eſt. 28
Cogitatio intenta, cauẽda. 95
Coitus ſpiritus exhaurit ſubtiles, & cætera eius mala. 15
Coitus à cibo protenus digeſtionem impedit. 55.56
Coitus epilepſiæ ſpecies. 278
Coitus comitiali ſimilis Hippocratis ſententia. 15
Colores potentes qui. 165
Color uiridis temperatiſſimus. 85
Color uiridis fouet uiſum. 84
Confectio aurata. 77
Confortatiua ſtudioſis neceſſa
Corallorum uis. 169 (ria. 35
Cordialia fouendis ſenibus. 73.74.75
Corporis & animæ æqualitas ſeruanda. 92
Corpora cœleſtia imprimũt nõnunquam corpori noſtri ad eligendũ ſæpe quod melius eſt, etiam ſi rationem finemq; neſciamus. 151
Corpus dulcedine, ſpiritus aromaticitate nutriri. 101
Corpora peſti obnoxia. 270
Crocus ſolaris eſt. 166
Cruditas ubiq; uitãda. 55.56
Cruditas periculoſa. Ibidem
Cruditati quomodo medeamur. 56

D

Diæta peſte correpti. 316.317

Dieta melancholici. 24
Dictami facultates. 170
Decani planetarum. 154
Democriti dictum. 8
Democriti factum. 104
Democritus panis calidi medulla uitam quoad placuit remoratus. 71
Destillationis medelæ. 31
Dies uigiliæ dicata, nox somno. 17
Dei facientes adiuuant. 233
Digestio bona, uitæ radix, necessaria ad uitam. 56. 57
Digestiones quatuor. 57
Digestio quarta qualia exiegat. 89
Digestionis quartæ uehicula. 61

E

EBrietatis noxa. 55
Ebrietatem furibūdos facere. 15
Edendi regula. 62. 63. 64
Electuaria tutissima. 41
Electuarium admodum salubre. 106
Electuarium pro senibus. 106
Electuarium ex pineis nucleis 71
Electuarium Mesues. 42
Elementaris qualitatis excessum nullum inesse cœlo. 211
Elixer. 130
Epidemiæ ortus causæ. 265
Essentiæ quintæ materies. 121. 122
Euchymi cibi. 58
Eufrasia oculis singulare præsidium. 32
Excrementorum tarditas pernicioſa. 18
Exercitij usus. 57
Extenuatis uigilia quomodo medearis. 44

F

FAcultates naturæ quatuor. 141
Fatigatio mala tum corporis tum animi. 22
Fides mirificam habet potentiam. 83

Fides medicinæ est uita. 83
Fidem in imagines plurimum conferre. 216. 217
Figura uniuersi quomodo fabricanda. 208. 209
Figurarũ in cœlo descriptio & ordo. 155
Figuræ in & sub cœlo quam uim habeant. 194. 195
Figuræ cœlestes antiquitus imaginibus impressæ. 198
Flauæ bilis indicia. 33
Fomentum seni mirificum. 71
Frictionũ singularum facultates ex Hippocrate. 21
Fructus ex editis locis salubriores. 66
Fructuum humidiorum esto parcior usus. 62

G

GEntilis & aliorum cõ posituræ contra pestem. 279. 280
Glycyrrhiza calefacit & refrigerat. 141 (72
Glycyrrhiza senibus apta.
Gradus septem conciliandi superos. 218. 219
Graduũ domini planetæ. 167
Gratiæ tres coniunctæ Iupiter, Sol, Venus. 135
Gustus restaurandi medicinæ. 33

H

HAbitatio senum quæ spectet. 66
Hæmatitis imago contra uenena & morbos. 185
Hebetudinis atq; obliuionis medelæ. 45. 46
Hebræi cur uitulum aureũ in Aegypto extruxerint. 175
Helleborus in Anticyra sumptus innoxius, alibi uero uenenum. 66
Helleborus purgat occulta proprietate. 213
Helleborus rite adhibitus purgat & iuuenẽ facit. 213
Hepatis cura habenda studioso. 3. 4
Heraclíti dictum. 12

Herbæ cor confortantes 590
Herculei lapidis natura. 182
Herodicus ualetudinarius prudentia uitam uixit longæuam. 51
Hesiodus à calumnia uindicatur. 67
Hiarchæ dictum. 131.
Homo quatenus cœlo conformis uuit, eatenus reportat & cœlestia dona. 211
Hominis natura secundũ stellas. 125
Hora studijs opportuna. 20
Horarum electio quid ualeat 173
Hortorum nemorumq; usus studiosis conuenit. 25. 26
Humanæ speciei proprietas. 124. 125
Humidiores epulæ aromaticis condiendæ. 62
Humor quomodo naturali calori cõtemperandus. 53. 54
Humor naturalis quibus cauſis arescat uel exundet. 55
Humorum purgandorum obseruatio. 141
Hyacinthus à fulmine tutum reddit. 170
Hyacinthus animum exhilarat. 25

I

IGnis usus in pestilentiali constitutione. 294
Imago efficacior quî fiat. 193. 194
Imaginum uires secundũ priscos. 181. 182
Imagines secundũ priscos, electa hora fabricatæ sunt, uultibus cœlestibus subiectæ. 174. 175
Imaginum uirtutes atq; medicinarum. 181. 182. &c. 202
Imagines quantam uim habere putentur in spiritum, & spiritus in eas. 213. &c.
Imaginũ uis in spiritus. 214
Imaginationis intẽtio in medicinis maximi momenti. 217
Imaginis imprimendæ aptitudo

tudo cum ſtellis.193
Imaginum ſculpendarum ritus antiquitus. 200. 211
Immoderati ad mediocritatẽ reductio.60
India Saturno ſubiecta. 228
Inferiora cœleſtibus, uelint nolint, ſunt ſubiecta. 173
Influxus alioqui naturales, arte comparari poſſe..244
Ingenium & memoriam confirmantes medicinæ.28
Ingenium quiſq; ſuum ſcrutetur & ſidus, ut proſpere ad illius præſcriptũ agat. 232.
Ingenio plurimũ conferre nocturnũ ſomnũ, obeſſe diurnum.16.17.&c
Iocinoris firmandi præcepta. 123.
Iouis gratiam ambire ſemper fœuſtum, aliorum non æque. 140.
Iouis gratia inter Solem Venereméq; media.136.139
Iouialia ſimplicia.123.163
Iudicium artium difficile. 50
Iupiter generationis princeps.142
Iupiter omnes naturæ potentias iuuat.141.142

L

LAc ſenibus ex uſu.77
Lac puellæ ſenibus conferre.77
Lac amygdalinum.45
Laboribus ruſticis nõnunquã uti ex re eſt ſanitatis.57
Lapidum certorum potentiæ 178.193
Lapidis è draconis capite excẽti hiſtoria.184
Laurus à fulmine tuta.179
Lazuli lapidis uirtus.209
Liquentium conditio.260
Literati quibus uiuant obnoxij morbis.4 (21
Lucubrationibus aptũ tẽpus
Lucubratio nocturna ſtudioſis inimica.16.17.18.19
Lunæ qualitates per ſua tempora quatuor.138

Lunæ cursus diurni in partes quatuor diuisio.139
Luna Soli iuncta ab eo capit uirtutem uiuificam.138
Lunæ qualitates secundū quatuor ætates. 143.147
Luna sub aliquo signo existente, caue membrum tangere ferro uel igne, cui præest illud signum. 157
Lunares populi.228
Lux sicca, anima sapientissima.12

M

MAgia duplex. 254. 255
Magum quem dicamus. 246
Magorum medicinæ.108
Magnes quur ferrum trahat 182.183.
Marathrum uisum acuit.32
Marathro serpentes exuunt senectutem. 75
Marathrū dulce senibus prodesse.Ibidem
Marsilij pater medicus multos peste correptos restituit 263
Materia disposita, agens citō sortitur effectum.268.269
Matricis ad odores mutatio. 105
Medicinæ exordium.220
Medicinis quàm imaginibus fortiores esse uires. 186
Medicinæ corpis animæ.92
Medicinæ cœlitus acquisitæ, & earundem uirtutes.276
Medicinæ ueneni dissipatiuæ 303
Medicinæ singulis mēbris cō ferētes ex spiritibus.28.&c
Medicinæ aēris excessū temperantes.25
Medicinæ senum.93.94.&c
Medicina magica pro senibus.108
Medicinæ liquidæ.39.40
Medicinā purgatoriam quæ do sumere expedit.158
Medicine contra pituitā.30
Melancholia duplex.9

Melancholicũ facientia. 6. 7.
Melancholia & pituita abundare studiosos. 5. 6. 7
Melancholici fiunt literati multis de causis. 6. 7
Melancholicos ingeniosos esse. 8. 12. 13
Melancholici, plurimum contemplationibus dediti. 6. 7.
Melancholia temperata, uino similis. 11
Melancholiæ æquabilitas. 10
Melancholiæ aduſtæ quatuor ſpecies. 9
Melancholiæ noxæ. 5. 10. 11
Melancholia obfuſcat ſpiritus. 9. 10
Melancholiæ utrinq; uitandus exceſſus. 11
Melancholiam augentia. 23
Melancholiam ſoluẽtia pharmaca. 35
Melancholiæ purgandæ Galeni præceptum. 34
Melancholicum humorẽ ſoluentes medicinæ. 35. 36
Melancholicus humor inueteratus quomodo irritandus & ſoluendus. 39
Melancholiã uino molliri. 24
Mel flos florum. 104
Mel à putrefactione tuetur. 104
Mel cibus ſenibus amicus. 80
Membrorum fouendorum ratio. 146. 147
Membra & uires iuuantia. 28. 29
Membrorum principaliũ medicinæ. 28. 29. 30
Membra quæ præcipue ſtudioſo curanda. 3. 4
Memoriam tribus iuuari. 35
Menta recens ſpiritui ſalutaris. 106
Mentis agitatio cerebrum exiccat. 6
Mercurij qualitas. 5
Mercurius Solis bonorũ particeps. 146
Mercurij proſopopœia ſenibus perſuadentis. 87. 88.

Mercuriales homines quales potißimum.155
Mercurialia ſimplicia.125
Mortis cauſæ.52
Mortem naturalem differri poſſe, Aſtrologiæ & Medicorum præſidio.110
Mundus animal.245
Mundi ſpiritus quomodo attrahatur.132
Mundi tres colores.205
Mundi concordia.124
Mundi corpus ubiq; uiuũ.129
Muſæ uirgines cur fingantur 15
Myrobalanorum facultates. 23.24.27
Myrobalani conditæ meliores.107
Myrobalani iuuentutem conſeruant.169
Myrobalani ſenectutem morantur.23

N

NAtura noſtra aëris qualitatẽ imitatur.17
Nauſeæ cura.34
Nox ſomno tributa, uigilia diei.17

O

OBlectamenta uaria ſeni captanda.70
Obliuionis remedia.45.46
Oculis grata.85
Oculorum caligantium medelæ.32
Odores ſpiritum recreant. 87.100.101
Odore ſolo quoſdam uiuere. 100
Odor nutriens.104
Odor uini ante omnes nutrit. 105
Odores melãcholicis utiles.25
Oleum de ſcorpionibus conficiendi norma.297
Olympius Magus cõtra Plotinum Romæ diſputans ſuis ipſius telis cõfoſſus eſt.204
Opportunitas laudata.172
Orationi magnam uim ineſſe.24

Oui uitellus sanguinem repa-
rat. 70
Oui facultas ex Auicenna. 64

P

PAeoniam comitiali ex
sua uirtute occulta me
deri. 169
Panis esto duplus ad oua, tri-
plus ad carnes. &c. 65
Panthauræ inuentor Apollo-
nius. 182
Panthaura omnium in se la-
pidum uires continet. 179
Pentaphylli uires. 170
Pestis quid. 264
Pestis signa. 273
Pestis uniuersalis & particu
laris causæ. 266
Pestis fomenta. Ibidem
Pesti quæ corpora obnoxia.
264. 269. 270
Pestis ex alio in alium transit
170
Pestem ex alio in aliã domũ
tulere feles & canes. 268
Pestis è terra prodeuntis si-
gna. 267
Pestilens uapor qua ratione
homini contrarius sit. 264
Pestis Florentiæ magna. 271
Pestis signa. 171. 272. &c.
Pestis signa indicatiua cur fal
lacia. 271
Peste laborantes cur sibi ali-
quando sani uideantur. 272
Pestis augmentum secundum
Lunæ quadraturas. 295
Pestis curãdi rationes per san
guinis missionem. 299. 300
Pestis curandi rationes physi
cæ. 296. 297. &c.
Pharmacum uix mouere ubi
Luna cum Ioue. 141
Phœbus & Bacchus fratres,
uitæ longeuæ conferunt. 111
112
Pilulæ aloĕticæ studiosis con-
ferunt. 29. 30
Pilulæ aureæ siue Magicæ.
36
Pilulæ ad soluendam melan-
choliam. 36. 37. 38

Pilulæ theriacales. 287
Pilulæ Marsilij. 286
Pilulæ pestilentiales. 283
Pilulæ Nicoli. 284
Pinei nuclei senibus familiares. 71
Pineorum nucleorum præparatio. 80
Pingues citò interire. 63
Pituitæ indicia. 33
Pituitæ & atræ bili studiosos esse obnoxios. 4. 5
Pituitæ uitandæ præcepta. 22. 23
Pituitæ expurgãdæ pharmaca. 30. 33. 98
Planetarum dignitates in signis ad usum medicinarum obseruandæ. 125. 152. 154
Planetis quomodo debemus uti in medicinis. 154. 155
Planetarum aspectus. 135
Planetarum fines. 153
Planetæ quando fortes. 143
Planetarũ oppositiones. 146
Planetæ inimici. 94
Planetæ inter se inimici, quomodo intelligatur. 94
Planetæ singuli quibus uirtutibus cõmodent, officiant'ue 137
Planetarum qui singulis membris præsint. 157
Planetarum unitas. 143
Planetarum singulorum studia. 128
Planetæ per ordinem infanti dominantes. 109
Planetæ contemplationem iuuantes tres. 16
Plato ab Ioue philosophos proficiscí ait. 138
Poëticas fores absq; furore frustra pulsari. 8
Pororum apertio & oppilatio iuxtà mala. 296
Potionis ad cibum proportio debita. 65
Problema. 78. 79
Problema cur metalla & lapides non generent. 130
Producendæ uitæ, harmonia confert.

confert. 93
Pueri & fœminæ cur pluri-
mum peſte capiantur. 270
Puluis ex fructibus humidio-
ribus corruptionem præca
uens. 67
Puluis contra peſtem. 304
305. &c.
Purgatio repentina uehe-
mensq; uitanda. 31. 37
Purgatio bilis atræ. 36
Purgatio exquiſita ſeneſcere
facit. 97
Purgare ſub quibus ſignis cõ
ueniat. 138
Pythagoræ præcepta. 260

Q

QValitas aromatica.
101
Quinque ſtudioſorum hoſtes.
14. 15

R

RAdios ſtellarũ pro na-
tura ſua uarie affice
re poſſe. 190. 191
Radij ſiderũ terræ molẽ ad
centrũ uſq; penetrant. 187
Radij cœleſtis efficacia. 189
Radiorum ictibus aliter atq;
aliter incidentibus diuerſæ
uirtutes naſcuntur. 290
Raſis canon. 276
Raſis præceptum ad iuuentu
tem diu ſeruandam. 60
Rationes rerum ſimilares tot
quot ſunt ideæ in mente di-
uina. 118
Rei effectus ex diſpoſitione
ſubiecti & forti agente pen
dere. 268 (170
Ruta aduerſus uenena ualet.

S

SAcchari facultas. 77
Sacerdotes priſcos fuiſſe
cum Medicos, tum Aſtrolo-
gos. 252
Saluia dentibus amica. 99
Saluia paralyſi aduerſa. 170
Sanguis ſpiritui ſeruiens. 4
Sanguineos quî agnoſcas. 292
Sanguineis ſolum incidenda
uena. Ibidem
Sanguinem clarificãtia. 288.

Sanguis bonus qualis. 58
Sanguis bonus longæ uitæ utilis. 58
Sanguinis utilitas. 40
Sanguis & humor, quales esse debeant naturales. 58. 59
Sanguinis in aurora motio fit 17
Sãguinis necessaria uitæ proportio ad cæteras qualitates. 59
Sanguinis abundantioris notæ. 40
Sanguinis mittendi canones. 40. 41
Sanguis minuendus sub Cancro. 157
Sanguinis humani potus. 78
Sanguinis diffluentis remedia 60. 61
Sanis conuiuere conducit. 81
Satietatis mala. 15
Satietas studijs inimica. 24. 26
Saturni qualitas. 125
Saturnus Venusq; æque fugiendi. 91
Saturno & Marte utendum tanquam uenenis. 127
Saturnus senibus domesticus. 82
Saturnus quibus aduersus. 227
Saturnus Planetarum altissimus, stellis proximus, primoq; mobili similimus. 228
Saturni die figuram sculperè cauebimus. 209
Senum uictus qualis esse debeat. 73. 74
Senum recreatio. 76
Senum potus. 77
Senum uitam lacte puellarum sustentari. 77. 78
Senum diæta, habitatio, consuetudo medicinæ. 26. 69 70. 71. 79. 80. 96. 97. &c
Senum purgationes. 97
Senes à Planetis accipiant adminicula ad omnia membra fouenda. 81. 82
Senum confabulatio sub Venere.

nere. 83. 84. &c.
Senum natură non esse ciborũ pondere fatigãdam. 79. 80
Senectutem uino molliri Platonis sententia. 69
Senectuti amicæ medicinæ 72
Senectutem remorantia. 23 70. 71. 72. 80
Senectutem præproperă adferũt Venus & Saturnus, & quomodo. 95. 96
Septẽ modi superos concilian di. 225. 226
Septennarij uitæ singuli, periculosi. 109. 110
Septimo quolibet anno uitæ impendent discrimina. 109
Signa ex Solis communione reddi uiuidiora. 204
Simile simili nutriri. 100
Sitis medelæ. 290
Sol omnes cœlestium uirtutes habet. 140
Sol in Leone uenenum depellere potens. 133
Sol Ioue ualidius agit. 134
Sol quando potentior. 21
Sol spiritũ uitalẽ obtinet. 138
Sol nocturnis animalibus infestus, diurnis amicus. 227
Sol epidemiæ aduersus. 133
Solaria simplicia. 122. 123 177. 179
Solares homines qui. 178 179
Solare corpus quomodo reddas. 122
Solaris quomodo spiritus efficiatur. 133
Solarem spiritum producentia. 180
Somnifica. 44. 45
Somnus nocturnus bonus, diurnus malus. 65
Somnus nocturnus necessarius & semper bonus. 65
Somnus meridianus uitandus 28
Sperma, præter natură profluens, plus debilitat, quàm si quadragies tantundẽ sanguinis emanaret. 15

Spiritus natura qualis. 161.162
Spiritus instrumentum. 3. 4
Spiritus uitam suppeditat. 103
Spirituũ cura habenda. 47
Spiritus roborandos sub suis planetis. 162.163
Spiritui inimica qualitas Saturni. 162
Spiritum quomodo solarem efficias. 180.181
Spiritus noster quibus nutriendus. 86.87
Spiritus nutriri per odores. 100. 101. *&c.*
Spirituum copia à somno. 19
Spiritum sanguinis rationem obtinere. 4
Spiritus uapor sanguinis, instrumentum studiosorum. 4
Spiritus animalis tria fomenta. 102
Spiritus resolutio quibus de causis fiat. 6
Spiritum extra uel intrò uocari assidue, periculosum. 95
Spirituum distractio, mala. 18.194
Spirituum distractionem remorantes medicinæ. 106
Spiritus, uires & membra, fouentes medicinæ. 28.29
Spiritus cœlestis quî fieri possit. 132
Spiritus mundi medius inter corpus & animam. 131
Spiritu mundi omnia generari. 129
Spiritus noster quomodo mũdi spiritum hauriat per solis radios. 131.158.159. *&c.*
Spiritus qualitas est Iouia 161
Stellarum attractus quomodo fiat. 124.125. *&c.*
Stellarum fixarum potentiæ 148. *&c.*
Stellæ uirtutes occultas tribuunt rebus naturalibus et artificiosis. 167. *&c.*
Stellæ dant ordinem rebus, secundum

cundum Platonem, quia ordines rerum à ſtellis pendẽt 177
Stellis quæ uis inſit conſiderandum. 120
Stellarum uigor quando maximus. 199
Stellæ maiores & earundem uires. 148.149
Stellaris herbæ facultas. 177
Stomachi medicinæ 33.34.81
Stomacho amica. 27
Stomachi debilis alimẽta. 64
Stomachi fomenta extrinſecus. 27
Stomachus ſomno fouetur. 18
Stomacho imbecillo cauenda 26.27
Stomachi cura. 26.27.*&c.*
Stomachi ex ætatis uitio imbecilli cura. 78
Studij feliciter peragendi rationes. 16. *&c.*
Studij hora aptiſſima. 20.21.
Studioſorum cibi conuenientes. 22.23.*&c.*
Studioſi quo uictu regẽdi. 25.
Studioſis fugienda. 52. 53
Studioſis utrinq; pericula. 53
Studioſi quorum membrorũ præcipue curam habere debeant. 3
Studiorum duces nouem. 1. 2
Studioſorũ hoſtes quot. 14.15
Studioſorum phantaſia noctu redintegratur. 19
Superiora quomodo per inferiora ſuperioribus expoſitæ deducantur. 243.*&c.*
Surgẽti cubitum quid primũ agendum. 20
Syrupus ad humorem melancholicum. 35.39
Syrupi ingenium ſouẽtes, & memoriã cõfirmãtes. 35.36

T

TEmperantia affectuũ, uictus & aëris longã uitam præſtat. 112
Temperãdi caloris & humoris Mineruæ cõſiliũ. 53.54
Tempus quid. 260

Tenebras interiores animo officere. 7
Terræ uiscera suscipere radiorum uirtutes. 188. 189
Theriacæ usus. 28. 46. 72. 186. 283
Theriacæ probæ indicia & effectus. 282. 287 (171
Theriacæ innata proprietas.
Theriacæ uirtus triplex. 171
Theriaca nulli remedio postponenda. 46
Theriaca nihil salutarius ingenio, & eius utendi modus 28. 29. 72
Theriaca non gustu tantum, sed etiam odoratu salubris est. 106
Thuris facultas specifica. 170
Tres cœli gratiæ. 135
Triferæ fundamentum myrobalanus. 107
Triferæ ad differendam senectutem. 72

V

Valetudinarijs longã uitam arte & cura consequi posse. 51
Venenorum non una qualitas. 307
Venenũ quod est hominibus idem nõ est cæteris animantibus. 267
Venus & Saturnus inimici planetæ. 94
Venus atq; Saturnus uterque spiritui incõmodat. Ibidem
Venerem Saturnijs inimicam esse. 70
Venus Saturno nocentior. 91
Venus nascituris consulens. 70
Venus subdola. 90
Venus noxia contemplatori. 94
Venus etiam iuuenibus plurimum detrahit. 70
Veneris gratia quomodo concilietur. 126
Verba magnã uim circa imagines habere. 217. &c.
Verborum atq; cantus potentia. 217. 218

Veſtæ deæ templum in urbiũ medio conſtructum. 188
Veſtes infectas utentem poſſe inficere, argumẽto ſunt ſcabies atq; lepra. 243
Victus canicici uitandæ. 63
Vigiliæ immoderatæ remedia. 44. 45
Vigilia nocturna ingenio obeſt. 15. 16. &c.
Vigilia nocturna digeſtioni incõmodat. 56
Vinum humectat & ſiccat. 141
Vini clari potentia. 24
Vinum rubeum albo præferendum. 27
Vini uſus moderatus. 24
Vinum quale ſtudioſis conueniat. 24
Vinum ſenum quale ſit. 68
Vinum bono ſanguini accommodatum. 61
Vinum ſic cicutæ uenenũ eſſe ut cicuta homini. 106
Vinum theriacis ſimile. 69
Viridis color cur præter cæteros uiſum delectet iuuetq; 84. 85
Viros magnos furore correptos. 8
Virtutem attractiuam igneis iuuari. 144
Virtutum trium ſedes & effectus. 3. 4
Virtus cœlitus fauorem attrahens in quo conſiſtat. 117
Virtutes ſtellarum occultæ in materias operantes. 167. 168. 169
Viſum oblectat color uiridis, aqua, ſpeculum. 84
Viſus cura. 32
Vita eſt ex commixtione perfecta qualitatum. 211
Vitæ ſedes in corde. 75
Vita mundi in inanimatis. 159
Vitæ mundi ſpiritus quî particeps fias. 159. 160. 161
Vitã accipimus & naſcimur ſub Ioue. 125

Vita per res temperatas permanẽs in ſpiritu recreatur 86
Vitam producere cupiẽtibus quid agẽdum. 101.102.104
Vita longa ad ſcientiæ perfectionem neceſſaria. 50
Vitam longam unà & noſtra præſtat diligentia. 51
Vita conſiſtit in calore & humore. 52.
Vitæ producẽdæ regulæ. 52. & per totum ſecundũ librũ
Vitam producere cupientes ſpirituũ cuſtodia neceſſaria 104.
Vitam longam quæ poßint præſtare. 50. 51
Vita quibus diu ſeruetur incolumis. 52 (52
Vitæ producendæ neceſſaria
Vitam differri poſſe cõfirmatio. 110
Vitæ ſanæ neceſſaria. 57
Vitalis caloris alimentũ. 52
Vita malorum mors eſt bonorum. 51
Vitæ neceſſaria eſt tranquillitas animi. 258
Vitelli ouorũ utilitas ex Auicenna. 64
Vniuerſitatis fabricandæ modus. 208
Voluptas ſpirituum eſca. 94
Vultus cœli. 196
Vultures & miluos peſtilenti ærí cedere. 268

Z

ZEdoariæ uis 74. 170
Zedoria ſenibus cõmodiſſima. 74
Zinziber ſeni prodeſt. Ibidẽ
Zinziber epulis infuſum arcere ſyncopam. 170
Zinziberis conditi uſus. 23. 74. 75
Zinziber cõditũ mane ſtomacho uacuo ſumptũ ſenſibus & memoriæ cõfert. 23. 46
Zodiaci per figuras partitio & ſtellas. 120
Zodiaci ſignorum ad membra reſpectus. 157

FINIS.

Admonitum te uolumus, candide lector, nos capita rerum quę his Marsilij Ficini de Vita libris insunt consulto omisisse: tum quod singula, rebus singulis præposita sint, tū quę legi quęrię poſſint, index ipse locupletior multò, citra tædium indicabit.

in librum de Vita, ad magnanimũ Laurentiũ Medicen patriæ ſeruatorem, Epiſtola dedicatoria.



ACCHVM, Poëtæ ſummum antiſtitem ſacerdotũ, bis natum canũt. Forte ſignificantes, uel futurũ ſacerdotem ſtatim initiatum, oportere renaſci: Vel perfecti tandem ſacerdotis mentem deo penitus ebriam, iam uideri renatã: Aut forſan humiliore ſenſu, uinum Bacchi germen generari ſemel in uite quaſi Semele, maturis ſub Phœbo racemis, regenerari rurſum poſt ipſum uindemiæ fulmen in ſuo uaſe uinum, uelut in Iouis fœmore merũ. Sed de ſacris in præſentia myſterijs nõ eſt loquendũ, ubi mox phyſica potius ope languentibus opitulaturi ſumus. Nec agendum ſtylo grauitatis ſeruo, ſed libero potius & iocoſo, poſtquã à Libero patre neſcio quomodo ſtatim exorſi ſumus. Et recte inquã neſcio quomodo, nam forte prudentior aliquis à Phœbo medicorum primo, potius quàm à Baccho medicinam auſpicatus eſſet. Quid uero? Si quod non uanum omen ſit in ore nunc ſorte quadã proferente Bacchum. Hic enim almo quodam uino ſecuritateq; lætiſſima, ſalubrius forte medetur, quàm herbis ille ſuis carminibusq; Phœbus. Quocunq; uero ſenſu ucl illa uel hæc accceperis, dux ille ſacerdotum Bacchus, geminas quaſi matres habuiſſe fertur.

tur. Melchisedech autem summus ille sacerdos, unam uix matrem, unum uix patrem habuit. Ego sacerdos minimus, patres habui duos, Ficinum medicū, Cosmū Medicen. Ex illo natus sum, ex isto renatus. Ille quidē me Galeno, tum medico, tum Platonico cōmendauit: hic autem diuino consecrauit me Platoni. Et hic similiter atq; ille Marsilium medico destinauit. Galenus quidem corporū, Plato uero medicus animorum. Iandiu igitur sub Platone salutarem animorū exercui medicinam, quando post librorum omnium eius interpretationem, mox decem atq; octo de animorum immortalitate libros, & æterna felicitate composui, ita pro uiribus patri meo medici satisfaciens. Medico uero patri satis deinceps faciendum putans, librum De literatorū ualetudine curāda composui. Desiderabant præterea post hæc homines literati, non tantum bene quandoq; ualere, sed etiā bene ualentes, diu uiuere. His ergo deinde librū De uita longa dedi. Diffidebant autem medicinis atque remedijs in re tanta terrenis. Adiunxi librum De uita, tum ualida, tum longa cœlitus comparanda, ut ex ipso mundi corpore uiuo, uita quædam uegetior in corpus nostrum quasi quoddam mundi membrum, uelut ex uite propagaretur. His uero tu medicinæ libris ignosce precor indulgentissime Laurenti, si dum medicus esse uolo, nescio quomodo etiam nolens sum etsi non bonus sæpe Poëta. Nam et Phœbus idem

est medicinæ repertor, poëtisq; magister, uitamq; ille suam nobis non tam per herbas quàm per citharã cantumq; largitur. Ipsa quinetiã Venus apud Astrologos Musicum æque parit & Medicum. Sed hactenus dum literatorum ciuiumq; similium uitæ curiosius consulo, librorũ meorum salutem negligo, quandiu inter se patior esse seiunctos. Quamobrem in eos nunc primum pius, in corpus unum copulo. Cuius artubus in unam formam iam compactis, uita protenus adsit. Non potest autem hoc opus physicum, id quasi corpus meum, uitam accipere nisi meam. Eiusmodi uero uita ex meadumtaxat pendet anima. Hæc autem iandiu penes te magnanime Laurenti mi patrone uiuit, in ea præsertim ampliſsimarum ædium tuarum parte, ubi unà cum Platone, nostrum illud de animorũ immortalitate seruatur opus tuo iampridem nomini dedicatum. At animus iste meus & si in beata quadam quasi patria penes te uitam agit, ueruntamen quod & Theologi uolunt, inquietus est interea, donec opus id physicum tanquam suum corpus accipiat. Accipe igitur optime Laurenti post illos de Anima, hos etiam De corpore libros, eodemq; afflatu, quo & illis dudum feliciter his aspira. Ita enim & corpus hoc sub tuo spiritu, per suam uiuet animam, & anima uicissim nostra cum iam suo corpore in tuis laribus conquiescet.

MARSILII

FICINI FLORENTINI MEDI-

ci atque philosophi celeberrimi, de Studio-
sorum sanitate tuenda, siue eorũ qui
literis operam nauant, bona ua-
letudine conseruanda.

LIBER PRIMVS.

De nouem Studiosorũ ducibus. Cap. I.



Vicunque iter illud asperum, arduumq; & longum ingredi untur, quod quidem uix tandem ad excelsum nouem Musa rum templum assiduo labore perducit, nouem omnino itine-ris huius ducibus indigere uidentur. Quorum primi quidem tres in cœlo, tres sequentes in animo, postre-mi tres in terra, nos ducunt. Principio, in cœlo Mer-curius, ut inuestigando Musarum iter aggrediamur, uel impellit uel adhortatur. Siquidem Mercurio tri-butum est inuestigationis omnis officiũ: deinde Phœ bus ipse, & quærentes animos & res quæsitas splen-dore uberrimo sic illustrat, ut perspicuè quod quære-batur, à nobis inueniatur. Accedit gratiosissima Ve-nus, Gratiarũ mater, atque almis omnino lætisq; ra-

dijs suis, rem omnem adeò condit & ornat, ut quicquid & instigante Mercurio quæsitum fuit, & monstrante Phœbo iam erat inuentum, mirifica quadam & salutari uenustate Veneris circumfusum, delectet semper & prosit. Sequuntur tres itineris huius duces in animo, uidelicet uoluntas ardens & stabilis, acumen ingenij, memoria tenax. Tres in terra postremi sunt, prudẽtissimus paterfamilias, probatissimus præceptor, medicus peritissimus. Absq; his nouem ducibus nemo ad ipsum nouem Musarũ templum peruenire uel potuit, uel poterit unquam. Cæteros quidem duces ab initio nobis præcipue Deus omnipotẽs natura; tribuerũt, tres uero postremos nostra adhibet diligentia. Sed præcepta officiaq; quæ ad patremfamilias, & quæ ad præceptorem circa literarum studia pertinent, antiqui plures sapientesq; tractauerunt, præcipue Plato noster, & sæpe aliâs, & in libris de repub. ac de legibus diligentissime. Deinde Aristoteles in Politicis: Plutarchus quoque & Quintilianus egregie. Solus autem literarũ studiosis hactenus deest medicus aliquis, qui manum euntibus porrigat, salutaribusq; consilijs atq; medicinis adiuuet eos, quos neque cœlum neq; animus, neq; paterfamilias præceptór ue destituit. Egò igitur sortem eorũ laboriosissimam miseratus, qui difficile, Mineruæ minuentis neruos, iter agunt, primus tanquam medicus debilibus

& uale

& ualetudinarijs adsum, sed utinam facultate tam integra, quàm propitia uoluntate. Surgite iam adulescentes, Deo duce alacres. Surgite iuuenes, atq; uiri, quos ardentius Mineruæ studium nimiũ eneruat. Accedite libenter ad medicum, qui uobis ad instituti uestri perfectionem monstrante Deo atq; fauente, consilia remediáq; salutaria largitur.

Quàm diligens habenda cura sit cerebri, cordis, stomachi, & spiritus. Cap. II.

PRincipio quantã cursores cruriũ, athletæ brachiorum, Musici uocis curã habere solent, tantam saltem literarum studiosos cerebri, & cordis iocinorisq; & stomachi oportet habere rationem. Imò uero tanto maiorem, quanto et membra hæc præstantiora quàm illa sunt, & ij frequentius atq; ad potiora his membris, quàm illi illis utuntur. Præterea solers quilibet artifex instrumenta sua diligentißime curat: penicillos pictor, malleos incudésque faber ærarius, miles equos & arma, uenator canes & aues, citharam citharœdus, & sua quisq; similiter. Soli uero Musarum sacerdotes, soli summi boni ueritatisq; uenatores, tam negligentes (proh nefas) tamq; infortunati sunt, ut instrumentum illud, quo mundum uniuersum metiri quodammodo et capere possunt, negligere penitus uideantur. Instrumentum eiusmodi, spiritus

ipſe eſt, qui apud medicos uapor quidã ſanguinis, purus, ſubtilis, calidus, & lucidus definitur. Atque ab ipſo cordis calore, ex ſubtiliori ſanguine procreatus uolat ad cerebrũ, ibiq; animus ipſo ad ſenſus tam interiores quàm exteriores exercendos, aſſidue utitur. Quãobrem ſanguis ſpiritui ſeruit, ſpiritus ſenſibus, ſenſus deniq; rationi. Sanguis autẽ à uirtute naturali quæ in iocinore ſtomachoq; uiget, efficitur. Tenuiſſima ſanguinis pars fluit in cordis fontem, ubi uitalis uiget uirtus. Inde creati ſpiritus cerebri & (ut ita dixerim) Palladis arces aſcendũt: In quibus animalis, id eſt, ſentiendi mouendiq; uis dominatur. Itaque talis plurimum fermè contemplatio eſt, quale ſenſus ipſius obſequium. Talis autem ſenſus, qualis & ſpiritus: ſpiritus uero talis, qualis & ſanguis: & tres illæ uires, quas diximus, naturalis ſcilicet, uitalis, & animalis, tales ut ſunt à quibus, per quas, in quibus ſpiritus ipſi concipiuntur, naſcuntur, atque fouentur.

τὸ αἷμα πλεῖσον ξυμβάλλεται μέρος σωτήριος Hippoc.

Literatos pituitæ & atræ bili obnoxios eſſe. Cap. III.

NOn ſolum uero membra illa, uiresq; & ſpiritus, homines literarũ cupidi curare diligentiſſime debent, uerũetiam pituitam ſemper & atram bilem nõ aliter quàm nauigantes Scyllam atque Charibdim cautiſſime deuitare iubentur. Quantum enim

reliquo

rcliquo corpore ocioſi ſunt, tantum cerebro ac mente negocioſi. Inde pituitam, quod Græci phlegma: hinc atram bilem, quam ijdem melancholiã uocant gignere compelluntur. Illa quidem ingenium ſæpe obtundit & ſuffocat: hæc uero ſi nimium abundauerit flagraueritue, aßidua cura crebriſq; deliramentis uexat animum, iudiciumq; perturbat: Vt nõ immeritò dici poßit, literatos fore præcipue ſanos, niſi pituita moleſta eſſet: & lætißimos ſapientißimosq; omniũ, niſi bilis atræ uitio uel mœrere ſæpe, uel interdũ deſipere cogerentur.

Quot ſint cauſæ, quibus literati melancholici ſint, uel fiant. Cap. IIII.

VT autem literati ſint melancholici, tres potiſſimum cauſarum ſpecies faciunt. Prima cœleſtis, ſecunda naturalis, tertia eſt humana. Cœleſtis, quoniam Mercurius qui ut doctrinas inueſtigemus, inuitat, & Saturnus qui efficit, ut in doctrinis inueſtigandis perſeueremus, inuentaſq; ſeruemus, frigidi quodammodo ficciq; ab Aſtronomis eſſe dicuntur: uel ſi forte Mercurius non ſit frigidus, ſit tamen ſæpe Solis propinquitate ficciſſimus, qualis eſt natura apud medicos melancholica: eandemq; naturam Mercurius ipſe & Saturnus literarũ ſtudioſis, eorum ſectatoribus impertiũt ab initio, ac ſeruant augentq;

quotidie. Naturalis autem causa esse uidetur, quod ad scientias præsertim difficiles consequendas, necesse est animum ab externis ad interna, tanquam à circũferentia quadam ad centrum sese recipere, atq; dum speculatur in ipso (ut ita dixerim) hominis centro stabilissime permanere. Ad centrum uero à circunferentia se colligere, figiq; in centro, maxime terræ ipsius est proprium, cui quidem atra bilis persimilis est. Igitur atra bilis animum, ut se & colligat in unum, & sistat in uno contempleturq;, assidue prouocat. Atque ipsa mundi centro similis, ad centrum rerum singularum cogit inuestigandum, euehitq; ad altissima quæq; comprehendenda: quandoquidem cum Saturno maxime congruit altissimo planetarum. Contemplatio quoq; ipsa uicissim assidua quadã collectione & quasi compressione, naturam atræ bili persimilem contrahit. Humana uero ea ex nobis causa est. Quoniam frequens agitatio mentis, cerebrũ uehementer exiccat: igitur humore magna ex parte consumpto (quod caloris naturalis pabulum est) calor quoq; plurimũ solet extingui, unde natura cerebri sicca frigidaq; euadit, quæ quidem terrestris & melancholica qualitas nominatur. Præterea ob frequentissimum inquisitionis motum, spiritus quoq; moti continue resoluuntur: Resolutos autẽ spiritus, ex subtiliore sanguine instauri necessariũ est. Quapropter subtilioribus clarioribusq;

ribusq; sanguinis partibus sæpe consumptis, reliquus sanguis necessariò densus redditur & siccus & ater. Accedit ad hæc, quod natura in contemplatione, cerebro prorsus cordiq; intenta, stomachum eparq; desti- Causſæ.
tuit. Quare alimentis præsertim uel uberioribus uel durioribus male concoctis, sanguis inde frigidus crassusq; & niger efficitur. Demum nimio membrorum ocio neque superflua excernuntur, neque glutinosi, tenaces, fusciq; uapores exhalant. Hæc omnia melancholicum spiritum, mœstumq; & pauidum animũ efficere solent. Siquidem interiores tenebræ multo magis quàm exteriores, mœrore occupant animum atq; terrent. Maxime uero literatorum omnium hi atra bile premuntur, qui sedulo philosophiæ studio dediti, mentem à corpore rebusq; corporeis seuocant, incorporeisq; coniungunt: tum quia difficilius admodũ opus maiori quoque indiget mentis intentione, tum quia quatenus mentem incorporeæ ueritati cõiungunt, eatenus à corpore disiungere compelluntur. Hinc corpus eorum nonnunquam, quasi semianimum redditur atque melancholicum. Quod quidem Plato noster in Timæo significat, dicens, animũ diuina sæpissime & intensissime contemplantem, alimentis eiusmodi adeò adulescere potentemq; euadere, ut corpus suum supra quàm natura corporis patiatur exuperet, ipsumq; uchementioribus agitationibus suis aliquando

uel effugiat quodammodo, uel nõnunquam quasi dissoluere uideatur.

Cur melancholici ingenioſi ſint, & qui horum ſint eiuſmodi, aut ſecus.

Caput V.

HActenus quam ob cauſam Muſarũ ſacerdotes melancholici uel ſint ab initio, uel ſtudio fiãt, rationibus primo cœleſtibus, ſecundo naturalibus, tertio humanis oſtendiſſe ſit ſatis. Quod quidem confirmat in libro problematũ Ariſtoteles: Omnes enim inquit, uiros in quauis facultate præſtantes melancholicos extitiſſe. Qua in re Platonicum illud quod in libro de ſcientia ſcribitur, confirmauit: ingenioſos uidelicet plurimũ concitatos furioſosq; eſſe ſolere. Democritus quoq; nullos, inquit, uiros ingenio magnos, præter illos qui furore quodam perciti ſunt, eſſe unquã poſſe. Quod quidẽ Plato noſter in Phædro probare uidetur, dicens poëticas fores fruſtra abſq; furore pulſari. Etſi diuinũ furorẽ hic forte intelligi uult, tamen neque furor eiuſmodi apud phyſicos, alijs unquam ullis, præterquam melancholicis incitatur. Deinceps uero aßignandæ à nobis rationes ſunt, quare Democritus & Plato & Ariſtoteles aſſerant, melancholicos nonnullos interdum adeò ingenio cunctos excellere, ut non humani, ſed diuini potius uideantur.

Aſſeue

Asseuerant id Democritus, Plato & Aristoteles absq; dubio, rationem uero tantæ rei haud satis explicare uidentur. Audendum tamen (monstrante Deo) causas indagare. Melancholia (id est atra bilis) est duplex: Altera quidem naturalis à medicis appellatur, altera uero adustione contingit. Naturalis illa nihil est aliud, quàm densior quædam sicciorq; pars sanguinis. Aduста uero in species quatuor distribuitur. Aut enim naturalis melancholiæ, aut sanguinis purioris, aut bilis, aut salsæ pituitæ combustione concipitur. Quæcunq; aduстione nascitur, iudicio & sapiētiæ nocet: nempe dum humor ille accenditur atque ardet, concitatos furentesq; facere solet: quam Græci Maniam nuncupant, nos uero furorem. At quando iam extinguitur, subtilioribus clarioribusq; partibus resolutis, solaq; restante fuligine tetra, stolidos reddit et stupidos, quem habitum melancholiam proprie & amentiā uccordiamq; appellant. Sola igitur atra bilis illa quam diximus naturalem, ad iudiciū nobis sapientiamq; conducit. Neque tamen semper. Sanè si sola sit, atra nimium densaq; mole obfuscat spiritus, terret animum, obtundit ingenium. Si uero pituitæ simplici misceatur, quum frigidus obstiterit circum præcordia sanguis, crassa quadam frigiditate segniciem adducit atque torporem, atq; ut densissimæ cuiusque materiæ natura est, quando cuiusmodi melancholia fri-

Duplex melancholia.

2. Georg.

geſcit, ad ſummum frigiditatis intenditur. Quo in ſtatu nihil ſperatur, timentur omnia, tædet cœli conuexa tueri. Si bilis atra uel ſimplex uel mixta putreſcit quartanã gignit febrem, lienis tumores, & multa generis eiuſdem. Vbi nimis exuberat, ſiue ſola ſit, ſiue coniuncta pituitæ, ſpiritus craſſiores facit atq; frigidiores. Continuo animum afficit tædio, mentis aciem hebetat, nec ſalit arcadico circũ præcordia ſanguis. Oportet autem atram bilem neque tam paucam eſſe, ut ſanguis, bilis, & ſpiritus quaſi freno careãt: Vnde inſtabile ingenium labilemq; memoriam eſſe contingat: Neque tam multam ut nimio pondere prægrauati dormitare atq; egere calcaribus uideamur. Proinde neceſſarium eſt, omnino eam eſſe quoad eius natura patitur, ſubtiliſſimam. Si enim tenuata pro natura ſua maxime fuerit, poterit forſitan abſq; noxa etiam eſſe multa: atq; etiam tanta ut æquare bilem ſaltem pondere uideatur. Abundet igitur atra bilis, ſed tenuiſſima: non careat humore ſubtilioris pituitæ circumfuſo, ne areſcat prorſus duriſſimaq; euadat. Non tamen miſceatur omnino pituitæ, præſertim uel frigidiori uel multæ, ne frigeſcat: Sed bili ſanguiniq; adeò miſceatur, ut corpus unum conficiatur ex tribus, dupla ſanguinis ad reliqua duo, pro portione compoſitum. Vbi octo ſanguinis partes, duæ bilis, duæ iterũ atræ bilis portiones exiſtant. Accendatur aliquantulum

Mediocritas eſto.

lum à duobus illis atra bilis, accensaq; fulgeat, nõ uratur: ne, quemadmodũ solet materia durior, dum feruet nimium, uehementius urat & concitet. Dum uero refrigescit, similiter frigescat ad summum. Bilis enim atra ferri instar, quando multũ ad frigus intenditur, friget ad summum: quando contrà ad calidum ualde declinat, calet ad summum. Neque mirum uideri debet atram bilem accendi posse facile, atque accensam uehementius urere. Siquidem uidemus calcem illi similem, aqua perfusam feruere statim atq; exurere. Tantam ad utrunq; extremum melancholia uim habet, unitate quadam stabilis fixæq; naturæ. Quæ quidem extremitas cæteris humoribus nõ cõtingit. Summe quidem calens summam præstat audaciam, imò ferociatem, extreme uero frigens, timorem ignauiamq; extremã. Medijs uero inter frigus caloremq; gradibus affecta uarie, affectus producit uarios, non aliter quàm merum, præcipue potens, bibentibus ad ebrietatem uel etiam paulò liberius affectus inferre uarios solet. Igitur opportunè temperata sit atra bilis oportet. Quæ quum ita moderata est, ut diximus, & bili sanguiniq; permixta, quia & natura sicca est & conditione quantum ipsius natura patitur tenuissima, facile ab illis accenditur, quia solida est atq; tenacissima, accensa semel diutissime flagrat, quia tenacissimæ siccitatis unitate potentissima est, uehemẽtius

Bilis atræ ultra citrâque mediocritatẽ noxæ.

incaleſcit: Quemadmodũ lignum in paleis ſi utraque accendãtur, magis diutiusq; calent & lucent. Atqui à diuturno uehementiq; calore, fulgor ingens, motusq; uehemens & diuturnus proficiſcuntur. Huc tendit illud Heracliti: Lux ſicca, anima ſapientiſſima.

Quo pacto atra bilis ingenioſos efficiat. Cap. VI.

QVæret forte quiſpiam, quale ſit corpus illud humoris eiuſmodi ex tribus illis humoribus, ea qua diximus proportione conflatum? Tale eſt fermè colore, quale aurum eſſe uidemus, ſed aliquantũ uergit ad purpuram. Et quando tam naturali calore quàm uel corporis uel animi motu accenditur? fermè non aliter q̃ ignitum rubensq; aurum, purpureo mixtum calet & lucet, atq; uelut iris trahit uarios flagrante corde, colores. Quæret aliquis iterum, quonam pacto humor eiuſmodi conducat ingenio? Nempe ſpiritus ex hoc humore creati, primo quidem ſubtiles ſunt, nõ aliter quàm aqua illa quam & Vitæ, ſeu Vitis aquam nominant & Ardentẽ, quoties ex craſſiori mero, quadã ad ignem deſtillatione, ut fieri ſolet exprimitur. Spiritus enim ſub anguſtioribus atræ bilis eiuſmodi cõpreſſi meatibus, uehementiore ob̃ unitatẽ calore, maxime tenuantur, perq; arctiores meatus expreſſi, ſubtiliores erumpunt. Deinde calidiores ſimi-

similiter atque eadem ratione lucidiores, tertio, motu agiles, actione uehementissimi, quarto, solido stabilique; humore iugiter emanantes, actioni diutissime seruiunt. Tali autem animus noster obsequio fretus indagat uehementer, perseuerat inuestigando diutius. Facile quæcunq; inuestigauerit, inuenit, clare perspicit, syncere dijudicat, ac diu retinet iudicata. Adde quod quemadmodũ in superioribus significauimus, animus instrumento siue incitamento eiusmodi, quod centro mundi quodammodo congruit, atque (ut ita dixerim) in suum centrum animũ colligit, semper rerũ omnium & centra petit, & penetralia penetrat: Cõgruit insuper cum Mercurio atq; Saturno: quorum alter omnium Planetarum altissimus, inuestigantem euehit ad altissima. Hinc philosophi singulares euadunt, præsertim quũ animus sic ab externis motibus atque corpore proprio seuocatus, & quam proximus diuinis, diuinorum instrumentum efficiatur. Vnde diuinis influxibus oraculisq; ex alto repletus, noua quædã inusitataq; semper excogitat, & futura prædicit. Quod non solum Democritus atq; Plato affirmant, sed etiam Aristoteles in Problematũ libro, & Auicenna in libro Diuinorũ, & in libro de Anima confitentur. Quorsum hæc de atræ bilis humore tam multa? Vt meminerimus, quantũ atra bilis, imò candida bilis eiusmodi quærenda & nutrienda est tan-

quam optima, tantum illam quæ contrà se habet, ut diximus, tanquam peßimã esse uitandam. Adeò enim dira res est, ut à malo dæmone eius impetus instigari Serapio dixerit, & Auicenna sapiens nõ negauerit.

Quinq; præcipue studiosorũ hostes, scilicet Pituita, Atra bilis, Coitus, Satietas, Matutinus somnus. Cap. VII.

VT autem redeamus illuc unde iam longius digreßi sumus, longißima uia est, quæ ad ueritatem sapientiamq; perducit, grauibus terræq; marisq; plena laboribus. Quicunq; igitur hoc iter aggrediuntur, ut poëta quispiam diceret, sæpe terra mariq; periclitantur. Siue enim mare nauigent, continue inter fluctus, id est humores duos, pituitã scilicet & noxiam illam melancholiam, quasi inter Scyllam Charibdimq; iactantur. Siue terra (ut ita dixerim) iter agant, tria monstra protinus sese illis obijciunt. Primum terrena Venus, secundum, Bacchus & Ceres, tertium, nocturna Hecate frequenter opponit. Ergo & Apollo ab æthere, & Neptunus ab æquore, & à terra Hercules sæpe uocandi, ut monstra eiusmodi Palladis inimica, iaculis Apollo transfigat, Neptunus tridente domet, claua Hercules contundat & laceret. Primum quidem monstrũ est uenereus coitus, præsertim si uel paulum uires excesserit. Subito nam

que

que exhaurit ſpiritus, præſertim ſubtiliores, cerebrumq; debilitat, labefactat ſtomachum atq; præcordia, quo malo nihil ingenio aduerſius eſſe poteſt. Cur nam Hippocrates coitum comitiali morbo ſimilem iudicauit? niſi quia mentem, quæ ſacra eſt percellit, tantumq; obeſt, ut Auicenna in libro de Animalibus dixerit: Siquid ſpermatis ſupra quàm natura toleret, coitu profluat, obeſſe magis, quàm ſi quadragies tantundē ſanguinis emanarit, ut nō iniuria priſci Muſas atquæ Mineruam uirgines eſſe uoluerint. Huc Platonicum illud ſpectat, quum Venus Muſis minitaretur, niſi ſacra uenerea colerēt, ſe contra illas ſuum filium armaturā. Reſponderūt Muſæ, Marti, ô Venus, Marti talia minitare. Tuus enim inter nos Cupido non uolat. Deniq;, natura nullum ſenſum longius quàm tactum ab intelligentia ſegregauit. Secundum monſtrum, eſt uini cibiq; ſacietas. Quippe ſi uinum uel nimium uel nimis calidum uehemensq; fuerit, caput ipſum humoribus peſſimisq; fumis implebit. Mitto quod inſanos facit ebrietas. Cibus uero nimius, primum quidem ad ſtomachum, in ipſo coquendo omnem naturæ uim reuocat. Quo fit, ut capiti ſimul ſpeculationiq; intendere nequeat. Deinde inepte coctus, multis et craſſis uaporibus humoribusq;, aciem mentis obtundit. Quin etiam ſi ſatis coquatur, tame ut Galenus ait, animus adipe & ſanguine ſuffocatus, cœleſte aliquid peruē

dere non potest. Tertium deniq; monstrũ est, ad multam noctem, præsertim post cœnam frequentius uigilare: unde etiam post ortum solis dormire cogaris. Quoniã uero in hoc errant fallunturq; studiosi permulti, idcirco quantum ingenio noceat, latius explicabo, atq; rationes septem præcipuas afferam. Primam ab ipso cœlo, Secundã ab elementis, Tertiam ab humoribus, Quartam ab ordine rerum, Quintam à natura stomachi, Sextam à spiritibus, Septimã à phantasia deductas. Principio, tres Planetæ, quemadmodum in superioribus dicebamus, contemplationi & eloquentiæ maxime fauent, Sol, Venus, atq; Mercurius. Hi uero paribus fermè passibus concurrentes, aduentante nocte nos fugiũt, die uero uel propinquante, uel iam surgente resurgũt, nosq; reuisunt. Post uero solis ortum in plagam cœli duodecimam, quæ carceri tenebrisque ab Astronomis assignatur, repente truduntur. Ergo nõ qui uel nocte quando nos fugiũt, uel die post solis ortum, quando carceris tenebrarũq; domum intrant, sed qui uel propemodum petentibus ortum, uel iam surgentibus ad contemplandum scribendumq;, ipsi quoq; consurgũt, ij soli acutissime speculantur, & eloquentissime inuenta sua scribunt atq; componunt. Ratio secunda scilicet ab elementis est talis. Oriente sole mouetur aër, tenuaturq; & claret, occidente uero contrà. Sanguis autem & spiritus, motum

tum qualitatẽq; aëris circũfusi, naturaq; similis sequi necessariò compellũtur. Tertia ratio, quæ ab humoribus ducitur, est eiusmodi. In aurora mouetur sanguis, & regnat, motuq; tenuatur & calescit & claret, spiritus uero sanguinẽ sequi imitariq; solent. Verum accedente nocte melancholia illa crassior & frigidior, atq; pituita dominantur, quæ spiritus ad speculandum ineptissimos proculdubio reddunt. Quarta ratio, quæ trahitur ab ordine rerũ, hæc erit. Dies uigiliæ, nox somno tributa est. Quoniã quum sol uel ad hemisphærium nostrum accedit, uel super ipsum incedit, radijs suis meatus corporis aperit, atq; à centro ad circumferentiam humores spiritusq; dilatat, quod quidem ad uigiliã actionesq; excita atq; conducit. Cõtrà uero, quando recedit, omnia coarctantur, quod naturali quodam ordine inuitat ad somnũ, maxime post tertiam aut quartam noctis partem. Quisquis igitur manè quidem dormitat, quando sol mundusq; excitat, ad multam uero noctem uigilat, quando natura dormire iam & à laboribus quiescere iubet, hic absq; dubio quũ ordini uniuersi, tum sibijpsi repugnat, dum cõtrarijs simul motibus perturbatur atq; distrahitur. Sanè dum ab uniuerso mouetur ad extima, ipse sese mouet ad intima: Atq; contrà, dum ab uniuerso ad intima trahitur, ipse se interim retrahit ad externa. Ergo peruerso ordine motibusq; con

trarijs, tum corpus totum, tum spiritus ingeniumq; prorsus labefactatur. Quinto loco à natura stomachi in hunc modum argumentamur. Stomachus diuturna diurni aëris actione, apertis poris admodum dilatatur, euolantibusq; spiritibus tandem ualde debilitatur. Igitur subeunte nocte, nouam spirituum copiam exigit, qua foueatur. Quapropter quicunq; eo tempore contemplationes longas et difficiles inchoat, ipsos ad caput spiritus retrahere nititur. Hi uero distracti neq; stomacho satis, neq; capiti faciunt. Maxime uero nocet, si post cœnã lucubrantes, diu eiusmodi studijs attentius incumbamus. Pluribus enim tunc ad concoquendũ cibum spiritibus, multoq; calore stomachus indiget. Hæc uero duo, lucubratione studioq; tali diuertuntur ad caput. Quo fit, ut neq; cerebro, neque stomacho suppetãt. Adde quod caput ob eiusmodi motum, crassioribus cibi repletur uaporibus, atq; cibus in stomacho à calore & spiritu destitutus, crudescit & putret, unde rursus caput opplet atq; lædit. Denique matutinis horis, quando surgendum est, ut excrementis omnibus somno retentis singula membra purgentur, tunc id quod pessimũ est, qui nocte lucubrando concoctionẽ penitus interruperat, idem dormiendo manè, excrementorum expulsionem diutius impedire cõpellitur. Quod quidem tam ingenio quàm corpori, medici omnes obesse quamplurimum arbitrantur.

tur. Meritò ergo qui nocte contra naturam pro die, atq; conuerso, die rursus pro nocte utuntur, tanquam noctuæ, ij etiam in hoc uel inuiti noctuas imitantur, ut quemadmodum illis sub solis lumine caligant oculi, ita & ijs mentis acies sub ueritatis splendore caliget. Sexto loco à spiritibus idem ita probatur. Spiritus fatigatione diurna præsertim subtilißimi quiq; deniq; resoluuntur. Nocte igitur pauci craßiq; supersunt, literarum studijs inceptißimi, ut non aliter mancis horum fretum alis ingenium uolare posßit, quàm uespertiliones atq; bubones. Contrà uero post somnũ manè spiritibus recreatis, membrisq; adcò corroboratis, ut minimo spirituum amminiculo egeant, multi subtilesq; spiritus adsunt, qui cerebro seruiant atq; expeditius obsequi possunt, in membris fouendis regendisq; parum admodum occupati. Postremo septima ratio, sic à phantasiæ natura deducitur. Phantasia siue imaginatio siue cogitatio, seu quouis alio nomine nuncupanda uidetur, multis, longis, contrarijs inuigilando imaginibus, cogitationibus, curisq; distrahitur atq; turbatur. Quæ quidem distractio perturbatioq; sequenti contemplationi, tranquillam sere namq; mentem penitus postulanti, nimium contraria est. Sola uero nocturna quiete, agitatio illa sedatur tandem atq; pacatur. Igitur accedente quidem nocte, semper turbata mente, recedente uero, utpluri-

mum mente tranquilla ad studia nos cõferimus. Quicunq; uero mente nimiũ agitata res ipsas iudicare conantur, ij nõ aliter quàm illi qui uertiginẽ patiũtur, omnia uerti putant (ut Plato inquit) quum ipsi uertantur. Quamobrem scite Aristoteles in Oeconomicis iubet ante lucem surgere, asseritq; id & ad corporis sanitatẽ, & ad philosophiæ studia prodesse quàm plurimum. Sed hoc ita accipiendum est, ut cita & modica cœna matutinam eruditatem diligentissime deuitemus. Deniq; facer ille uates Dauid, omnipotentis tuba Dei, nunquam dicit uespere, sed mane semper atq; diluculo in deum suum canendũ se cithara psalmisq; surgere. Surgere quidẽ mente, ea hora omnino debemus, mox etiã corpe, si modo id cõmode fieri possit.

Quæ sit hora inchoandis studijs opportunior, quisue cõtinuandi modus.

Cap. VIII.

EX ijs quæ in superioribus disputata sunt, fermè iam satis constat, opportune nostra nos studia exordiri, uel statim oriente sole, uel hora una sal tem uel duabus ad summum ante solis exortum. Sed antequã è lecto surgas, perfrica parumper suauiterq; palmis corpus totũ primo, deinde caput unguibus, sed id paulò leuius. Hac in re te Hippocrates admoneat. Nã frictione, inquit, si uehemens sit, durari corpus:

pus: si leuis, molliri: si multa, minui: si modica, imple ri. Quum è lecto surrexeris, noli subitæ lectioni meditationiq; prorsus incumbere, sed saltem horæ dimidium cuilibet expurgationi concedito, mox meditationi accingere diligenter, quam ad horam circiter unam pro uiribus prorogabis. Deinde remittes parumper mentis intentionem, atq; interim eburneo pectine diligenter & moderate pectes caput, à fronte ceruicem uersus quadragies pectine ducto. Tum cer uicem panno asperiori perfrica, demum reuersus ad meditandum, duas insuper horas, aut saltem horam unam studio dedicato. Produci uero nonnunquam studia possunt, sed aliquanta interdum intermissione facta, ad horam usq; meridianam. Quinetiam interdū quamuis raro, nisi cibum interim cogamur assumere post meridiem circiter horas duas. Sol enim circa ortum potens est, potēs & in medio cœlo. In plaga quoque illa cœli, quæ medium proxime sequitur, quam nonam Astronomi uocant & sapientiæ domum, Sol maxime gaudet. Quoniam uero Poëtæ omnes Phœbum Musarum scientiarumq; ducem esse uolunt, meritò si quid altius excogitandum est, his horis potissimum cogitetur. Si Musæ quærēdæ, horis iisdē Phœbo duce quærantur. Reliquæ enim horæ, ueteribus alienisq; legendis potius quàm nouis proprijsq; excogitandis accōmodatæ uidentur. Semper autem mens

Hippoc. in eo. lib. quē κατ' ἰητρεῖον inscripsit.

nisse debemus, qualibet hora semel saltem paulisper remittendam esse mentis intentionem. Quũ enim ob intentionem huiusmodi spiritus resoluantur, meritò si nunquam cesses tendere, lentus eris. Dum laboras animo, interim corpore conquiesce. Mala est defatigatio corporis, peior animi, utriusq; simul pessima, opositis hominem motibus simul distrahens, uitamq; dispердens. Deniq; haud ulterius meditatio procedat quàm uoluptas, potius uero citrà.

Vitandæ pituitæ præcepta. Cap. IX.

OPeræpretium fore uidetur, quæ noxia literatis esse diximus repetere breuiter, atq; remedia singulis adhibere. Ergo ne pituita nimis augeatur, exercitatione quotidie stomacho fermè uacuo bis utendum, nunquam tamen laboriosa, ne acuti spiritus dissoluantur, excrementa diligentissime ab omnibus meatibus expurganda. Sordes à corporis totius cute capitis præcipue, tum lotione, tum frictione penitus abstergendæ. Vitanda alimenta frigida nimium, atq; nisi obstiterit atra bilis, etiã humida, & omnino quæ pinguia, uirulẽta, uiscosa, uncta, glutinosáq; sint, uel quæ facile putrescere soleant. Si stomachus uel natura uel ætate sit frigidus, aut dimittendus omnino, aut certe minuendus aquæ potus. Moderatus cibus sit oportet, sed potio moderatior. Habitatio alta à gra-

ui nu-

ui nubiloq; aëre remotißima, tum ignis, tum calidi odoris usu, humiditas expellenda. Prohibendum frigus à capite, maxime uero ceruice atq; pedibus: multum enim obest ingenio. Prodest moderatus usus aromatum in frigidioribus epulis, nucis muscatæ præsertim, & Cinnamomi, & Croci, Zinziberis quoq; conditi manè stomacho uacuo, quod sensibus etiam & memoriæ maxime prodest.

Qua ratione uitanda sit atra bilis. Cap. X.

PEßimam uero illam quam in superioribus detestabamur atram bilem, hæc augent crassum turbidumq; uinum, præcipue nigrum, cibi duri, sicci, salsi, acres, acuti, ueteres, usti, aßi, fricti, carnes bouis & leporis, caseus uetus, salsamẽta, legumina, præcipue fãba, lenticula, melongia, eruca, braßica, sinapis, radicula, allium, cæpa, porrum, mora, cariotæ, & quæcunque calefaciunt uel frigefaciunt simulatq; desiccant, & omnia nigra: Ira, timor, misericordia, dolor, ocium, solitudo, & quæcunque uisum & olfactum auditumq; offendunt, omnium uero maxime tenebræ. Præterea exiccatio corporis nimia, siue longis nata uigilijs, siue multa mentis agitatione uel cura, seu frequenti coitu, usuq; rerũ calidarum multũ, atque siccarum, seu immoderata quadam deiectione atq; purgatione uel exercitatione laboriosa, uel inc-

dia, siti, calore, uel sicciore uento, uel frigore. Quum uero bilis atra semper siccissima sit, frigida quoq; licet non æque, huic certe resistendum est, rebus quidē modice calidis, humidis uero quammaxime, cibis elixis assidue, qui coquantur facile, & subtilem gignant sanguinem atq; clarissimū. Sed interim ut stomachi & pituitæ ratio habeatur, perinde atque bilis atræ, epulæ cinnamomo & croco & sandalis condiantur. Conferunt semina peponis, atq; cucumeris, & pinei
σπόνδυλος nuclei abluti. Conueniunt lacticinia omnia, lac, caseus recens, amygdalæ dulces. Conueniunt carnes auiū & pullorum gallinaceorum, quadrupedúmue lactentium, oua sorbilia maxime, et ex membris animaliū, cerebellum, dulcia mala, pyra, persica, pepones, pruna damascena, atq; similia: cucurbita rite cocta, herbæ humidæ, nō uiscosæ: Cerasea uero, ficus, uuas, minime laudo. Nauseam uero & satietatem ualde detestor. Nihil autem aduersus hanc pestem ualentius est quàm uinum leue, clarum, suaue, odorum, ad spiritus præ cæteris perspicuos generandos aptissimū. Nam
Vinum. ut Platoni & Aristoteli placet, hic humor, hoc uino non aliter mollitur atq; dulcescit & claret, quàm uel lupini aqua perfusi, uel ferrū flammis accensum. Verum quantū eius usus spiritibus & ingenio prodest, tantum nocet abusus. Præterea infundere aurum uel argentum maxime ignitum, eorumq; fōlia in poculis

uel

uel in ipso iure prodesse consentaneum est, atque aureo uel argenteo uasculo bibere, ciboscq; sumere. Item perutile est, si sæpe stomacho uacuo liquiritiæ succus deglutiatur: succus quoq; punici pomi dulcis, atque dulcis arancei. Conducũt nõ mediocriter suaues odores, temperati maxime: at si regnat frigus, ad calidũ declinantes, sin dominetur calor, uergentes ad frigidum. Temperandi sunt igitur ex rosis, uiolis, myrto, camphora, sandalis, aqua rosacea, quæ frigida sunt. Rursus ex cinnamomo, citro, aranceo, gariophilis, mentha, melissa, croco, ligno aloë, ambra, musco, quæ calida. Verni flores prosunt in primis & folia citri siue arancei, odoraq; poma, sed maxime uinum. Odores eiusmodi prout cuiq; conuenit, & naribus hauriendi sunt, & pectori atq; stomacho admouendi. Odores uero calidos multum siccosq;, si soli fuerint & continui non probamus. Tenendus ore Hyacinthus, qui animum uehementer exhilarat. Hierobotana quoque, id est sclarea sylueſtris, tũ cibo tum odore confert. Buglossa rursus, borago, melissa, horũq; trium aqua. Rursus lactuca, endiuia, uua passula, lac amygdalinum, mensæ familiarissima esse debent. Fugiendus aër, aut feruens, aut glacialis nimium, aut nubilus, sed aër temperatus serenusq; liberrime admittendus. Mercurius, Pythagoras, Plato iubent dissonantem animum uel mœrentem cithara, cantuq; tam

constanti quàm concinno cõponere simul atq; erigere. Dauid autem poëta sacer psalterio psalmisq; Saulem ab insania liberabat. Ego etiam (si modo infimæ licet componere summis) quantum aduersus atræ bilis amaritudinem dulcedo lyræ cantusq; ualeat, domi frequenter experior. Laudamus frequentem aspectiũ aquæ nitidæ, uiridis rubeiue coloris, hortorũ nemorumq; usum, deambulationem secus flumina, perq; amœna prata suauem, equitationem quoq;, gestationem, nauigationemq; lenem ualde probamus, & uarietatem imprimis, facilesq; occupationes, diuersaq; negocia non molesta, assiduam hominum gratiosorum consuetudinem.

De curatione Stomachi. Cap. XI.

SEquitur ut curam stomachi quamdiligenter habeamus, ne nauseam cruditatémue adducat unquam satietas, caputq; offendat. Bis cibus quotidie sumendus est, & modicus atq; leuis, Cinnamomo, Macre, nucc muscata moderate conditus. Semper tamen siccus cibus ponderc alimenta mollia potumq; exupcret, nisi forte atræ bilis siccitatem admodum uereamur. Famem (si cõmode fieri potest) cibus, sitim potus expectet. Auiditas utriusq;, superfit mensæ. Fastidium & saturitas procul absint. Abstinendum ab ijs quæ ob nimiam humiditatem uel uirulentam & unctam uiscosamq; materiam stomachũ relaxando debilitant.

Satietas uitanda.

bilitant, uel etiã frigida aut calidißima ſunt, aut propter duritiam ægre coquuntur. Et quæ talia ſunt, ut diu poſt menſam palato ſaporem reddant moleſtiorem, ſiue inflent, ſiue caput multis uaporibus impleant: ab omnibus imprimis quæ facile uel extra aluũ, uel in aluo putreſcant. Dulces ſapores, aut acres ſi ſoli ſint, nullo pacto probamus: ſed dulces, acri quodã uel acuto uel ſicco uolumus tẽperari. Maſtix & mentha ſicca, ſaluia recẽs, uuæ paſſulæ, cydonia poma cocta, condita ſaccharo, cicorea, roſa, corallus, lotus capparis & aceto cõditus, ſtomacho amiciſſima ſunt. Mala præterea punica ſapore inter acidũ dulcemq; medio, & omnino quæcunq; moderate acida ſunt & aliquantulũ auſtera, quæ medici ſtyptica uocant, ſiue quæ aliquantum acuta ſunt uel ſalſa uel aromatica: Myrobalani autem omnia ſuperant. Vinũ quoq; rubeum potius quàm album, ſapore quaſi paululũ ſubamaro, ac niſi caliditas uel deſtillatio aliter poſtulauerit, optimum erit merum bibitum paulatim. Omnino autem liquidiores epulæ prius ſumendæ quàm duriores. Sumpto uero cibo conuenit, coriandrum pomũq; cydonium conditum ſaccharo, mala punica, & pira auſtera, meſpila quoq; & perſica ſicca, atq; ſimilia. Mandere uero oportet antequam deglutiãtur, ſingula exactiſſime. Fouendus ſtomachus ſi oportet extrinſecus, maſtice, roſa, mentha, corallo. Cauendũ ne poſt

cibum, duabus aut tribus proximis horis uel cogitationi difficili, uel lectioni sedulò incũbamus. Necessariæ forsitan erunt horæ uacationis quatuor, si cibus potús ue uberior fuerit, aut cibus durior. Malum est cibo potúue uentrem extendere, pessimum stomacho sic extento, difficilia cogitare. Aut igitur nutrimentũ sume leuissimum, aut sumpto, uaca donec quasi concoxeris. Neq; dormiendum post cibum meridie, nisi maxima cogat necessitas, atque id quidem non prius quàm horas duas uigilauerimus. Nocte tamen sumpta cœna, hora ut uidetur, una uigiliæ sat est. Coitus stomacho pestilens, præsertim si uel saturo statim, uel esuriente concumbas. Ocio mœret stomachus, exercitatione gaudet, nisi dum cibo sit plenus. Sumpto cibo statim modicè deambulandum, mox uero sedendum.

De ijs quæ fouent membra præcipua & uires spiritus. Cap. XII.

SEd iam operæpretium facturus, ut nonnulla ex medicorum officina in mediũ producamus, quæ stomachi, cordis, cerebri, spirituum ingenij, uires uel seruent integras uel restituant, ac si uel pituita uel atra bilis excrescat, uel immineat nausea longe propellant. Omnes sine controuersia medici consenserũt, nihil esse salutarius Theriaca, fouendis cõfirmandisq; tum singulis membris & uiribus, tum spiritibus atq; ingenio

ingenio Huius igitur in primis utemur drachma dimidia, aut saltem drachmæ tertia parte, bis qualibet hebdomada hyeme & autumno: Sed æstate atq; uere semel, uel sola, uel si placet frigidis humidisq; temporibus cum pauculo mero claro, suaui: temporibus uero calidis siccisq;, præsertim si natura uel ætas sit calidior, cũ aquæ rosaceæ duabus uncijs aut tribus, stomacho scilicet uacuo, sex aut septem horis ante cibũ. Si theriaca desit, dabimus mithridatum. Sed ubi theriacã mithridatúmue sumimus, eo die ab omni re calida penitus abstinendũ, & si æstas aut uer fuerit, frigidis est utendum. Secundo uero loco eadem in causa probatur ab omnibus Aloë rite electa atq; lota. Sume myrobalanorum chebularum drachmas duas, rosarum purpurearum, sandali rubei, emblicorum, cinnamomi, croci, corticis pomi citri, beem, melissæ, id est citrariæ, singulorum drachmam unam, aloës electæ riteq; ablutæ drachmas duodecim. Ex ijs confice pilulas optimo mero, quibus hebdomada qualibet semel utaris diluculo, eo scilicet pondere, quod naturæ tuæ conueniat: æstate quidem cũ aqua rosacea, aliás uero cum uino. Quibus autem diebus neque theriacã neque pilulas assumes, utere confectione eiusmodi mane atque uespere duabus aut tribus ante cibum horis. Sume cinnami electissimi drachmas quatuor, chebularum myrobalanorum duas, & totidem emblicarũ,

croci, rosarum drachmam dimidiã, sandalorum rubrorum drachmas duas, corallorumq; similium drachmam unã, sacchari albißimi quantũ satis est. Funde saccharum aqua rosacea atque succo citri uel limonum, æqualibus uidelicet portionibus, coquas suauiter. Deinde adde musci tertiã drachmæ partem, atque ambræ tantundem. Demum confice bolos solidos quos morsulos uulgo uominant, auróq; inuolue. Tria hæc, ipsi eo usu quo præscripsimus, experti sumus, Theriacam & Aloën ita, ut diximus, temperatam, confectionemq; illam singulis conferre membris, uiribus & spiritibus, acuere sensus atque ingeniũ, memoriam corfirmare. Pituitam quoque & bilem, atq; atram bilem illis pilulis facile uel educi uel emẽdari. Præterea ætati cuilibet & naturæ, tria quæ diximus familiarißima iudicantur.

Pharmaca pituitæ repreßiua atq; eductiua. Cap. XIII.

SI aduersus exundantẽ pituitam acrius pugnandum fuerit, pilulas aurora ex Hierapicra Galeni, uel quas Mesues Elephanginas nominat, dabimus scilicet quot et quoties oportuerit, uel etiã in robustiore natura pilulas ex hiera atq; trochiscis agarici pari portione compositas, semper uero cum melle rosaceo liquido atq; oximelle aquáq; maratri, id est fœniculi

culi. Qui certe syrupus in pituita digerenda etiam ante pilulas atq; post eas maxime prodest. Si unà cum pituita cæteri quoque humores turbent, pilulis ex Reu barbaro Mesues, uel pilulis quæ Sine quibus, à posterioribus nuncupantur, opportune purgabimus. Omnem uero uehementem repentinamq; deiectionem purgationemq; penitus detestamur. Nam stomachum corq; debilitat, spiritus multos exhaurit, confundit humores, spiritus fumis humorum fuscis obtenebrat.

Catarrhi & destillationis, cõmunis studio sorũ pestis Remedia. Cap. XIIII.

VBi caput propter pituitam destillationibus fluctuat, quandoq; hora somni aliquot ex pilulis quas modo descripsimus, dabimus. Iubebimus præterea ea hora & alijs Thus sæpe mandere: nã mirifice destillationibus & sensibus omnibus memoriæq; succurrit. Rursus muscata nux & theriaca ore retenta, probatur: Maiorana quoque, quam amaracum nominant, uel eius aqua admota naribus uel infusa. Post cibum uero, alimentorum fumos, coriandro cydoneisq; coërcebimus.

De dolore capitis. Cap. XV.

SI caput sæpe doleat humore grauatum frigido, præter illa quæ narrauimus, confectionẽ illam quam Diambram nominant, uel diacori uel Pirisar

coticon tenere ore iubebimus. Quinetiam masticem sæpe mandere. Præterea linire frontẽ, tempora, cerauicem, maioranæ, fœniculi, rutæ fõlijs unà cum oleo rosacco tunsis, similiter aloë, aceto, oleo, aquaq; rosaceis perfecte diluta.

Visus caligantis medelæ.

Caput XVI.

VBi oculi caligant, neque rubent tamen, neque aliud præbent ullum caloris indicium, tunc sanè collyrium ex aqua fœniculi, maioranæ, chelidoniæ, rutæ, adhibito croco & antimonio confert. Sed aqua eiusmodi prius densiori panno est exprimenda. Nihil tamen admoueas oculis, nisi antea pilulis Lucis sæpe purgaueris. At si caligantes oculi rubeant, subito pilulis ex fumo terræ compositis purga. Mox collirium ex aqua rosacea & saccharo prodest. Nonnunquam uero albumine oui, tutia, lactis adiectis quãpriumum opitulatur. Omnino autem quotidianus usus matratri uisum seruat & acuit. Semen quidẽ eius frequenter ore tenere oportet, fõlia uero comedere. Triphera minor à Mesue descripta, optima est. Optimũ quotidie uacuo stomacho myrobalanum, chebulam conditam sumere, atque cum ea nonnihil panis ex saccharo, maratroq; in puluerem ducto compositi: quod insuper ingenio mirum in modum, ac producendæ uitæ prodest. Eufrasiæ quinetiam usus, oculis est singulare

larc præsidium. In omni uel dolore capitis, uel caligine oculorum, diuertendi sunt retrò uapores frictionibus cucurbitulisq;. Ac si calor in causa sit, sanguisq; abundet, hirudines ceruici & humeris adhibebimus.

De sensorio Gustus instauranndo. Cap. XVII.

STomachus sæpe literarum studiosis gustum ferè omnem amittit, si id pituitæ uitio incidit, quod acidus oris sapor, uel saliua multa & glutinosior indicat, postquàm aluum subduxeris medicinis, quas supra narrauimus: Aromatico rosaceo utere, scilicet saccharo rosaceo mixto, melle quoque rosaceo cum cinnamo, solo etiam uel gingibere condito, uel menthæ syrupo: sed in primis Theriaca. Sin autem bilis copia forte contingit, quod quidem os amarum ostendere solet, similiter post purgationem ex Aloë sicut diximus, præparata, uel reubarbaro adsume, uel tri asandalum, uel Oxysacchará, saccharo, aceto albo, & uino acrioris punici mali, compositam. Vel persica pyrá ue, siue condita siue Syrupo confecta, sicut Mesues docet, uel nostram eiusmodi confectionem gustui saluberrimam. Sume sacchari rosacei uncias quatuor, diamarenati uncias duas, diacytonites tantundem, scilicet uncias duas, myrobalanorum chebularum semunciam, emblicarum tantundem, sandali rubei, coralli rubri, utrorunq; æque drachmam dimi-

Saliuæ humorum indices.

diã. Funde insuper Iuleb ex succo citri uel limonis uncias treis aut duas. Quod si stomachus debilis est & frigidus, adijce duas cinnami drachmas. His ante cibum duabus horis utendũ. Nauseam semper ab utroque natam humore tollit diacitonites, & usus cappa-ris cum aceto. Item potus modicus ieiuno stomacho albi aceti rosacei. si duplo sacchari põdere misceatur. Rursus menthæ syrupus atque absynthij. Item mentha uel aceto condita, uel acido mali punici succo diluta atque rigata.

Exquisitißima atræ bilis remedia. Cap. XVIII.

VErum mißa hæc tanquam leuiora iam faciamus, atque ad id quod periculosißimum est, reuertamur, ad atram bilem scilicet, quæ quoties abundat & furit, quum corpus totum, tum uel maxime spiritum quasi quoddam instrumentum ingenij, ipsumq; ingenium & iudicium labefactat. Primum in ea curanda præceptum sit, ut docuit Galenus, ne repente illam educere contendamus, ne forte eius parte liquidiore subtilioréque subducta, residuum densius admodum, sicciusq; resideat, sed paulatim molliatur digeraturq;, pariter atque educatur. Secundum, ut interim tam cibis humidioribus, quàm lauacris dulcibus & modicis, unguentisq; similibus caput & corpus totum ad summum pro uiribus humectetur, ea tamen cau-

Et Hippocrates in libro περὶ διαίτης.

cautione, ne uel deſtillatio irritetur, uel deſtruatur ſto machus aut iecur, uel meatus corporis obſtruantur. Tertium uero, & id quidem maxime neceſſarium, ut continue cor foueatur, roboreturq; rebus congruis partim intus acceptis, partim extrà pectori nari bus ue adhibitis. Aſpiciantur quoque & audiantur, odorentur, & cogitentur aßidue quæ oblectent. Cõtraria uero longius arceantur.

Syrupi Melancholicis maximo futuri commodo. Cap. XIX.

MVlta quidem à multis, aduerſus hunc humorem compoſita ſunt. Ego autẽ in præſentia tria quædam remediorum genera è plurimis adferã electiſſima omnium atque tutißima, accepta primum à priſcis, deinde à recentioribus confirmata, interdum etiam à nobis ad uſum noſtrum accommodata. In primo eſt ſyrupi optimi compoſitio. In ſecundo pilulæ probatißimæ. In tertio electuaria ſaluberrima. His tribus opportune adhibitis, melãcholicus humor mollitur & digeritur atque ſoluitur, ſpiritus acuuntur & illuſtrantur, fouetur ingenium, memoria confirmatur. Syrupus eſt huiuſmodi: Sume boraginis, buglóſſæ, florumq; utriuſque, meliſſæ, capillorum Veneris, endiuiæ, uiolarum, Cuſcutæ, polipodij, Senæ, epithymi, ſingulorum quantum manu capitur, pruna Damaſcena numero uiginti, odora poma, nu

mero decem, paßularum unciam unam, liquiritiæ unciam dimidiam, cinnami, ſandali rubri, corticum citri, ſingulorum drachmas tres, croci drachmam dimidiam. Coquantur in aqua omnia præter epithymum & aromata, donec pars tertia conſumatur. De coctio expreßa poſt, cum ſaccharo iterum & epithymo moderate coquatur. Poſtremo infundantur aromata ſcilicet cinnamum atque crocus. Huius ſyrupi aurora calefacti unciæ treis bibantur, ſimulq; unciæ duæ aut treis aquæ bugloſſæ, atque unà cum ijs exſequentibus pilulis accipi debent duæ ſaltem, aut plures, prout cuique conuenit, eo ſcilicet pacto, ut aluus quotidie paulum moueatur.

Pilulæ ad humores uitioſos molliendos & expurgandos. Cap. XX.

PIlularum uero quantum ad propoſitũ ſpectat, duo ſunt genera, aliæ delicatis congruunt, robuſtioribus aliæ. Primæ, aureæ ſiue magicæ nominari poſſunt, partim Magorum imitatione, partim noſtra inuentione, ſub ipſo Iouis Veneriſq; fluxu compoſitæ, quæ Pituitam, Bilem, Atram bilem educunt abſque moleſtia, ſingula membra corroborant, ſpiritus acuunt & illuminant. Ita eos dilatant, ne conſtricti mœſtitiam pariant, ſed dilatatione & lumine gaudeant. Ita rurſus ſtabiliunt, ne extenſione nimia cua-

euaneſcant. Sume igitur auri grana duodecim, maxi me foliorum eius ſi pura ſint, thuris, myrrhæ, croci, ligni aloës, cinnami, corticis citri, meliſſæ, ſerici cru di coccinei, menthæ, been albi, been rubei, ſingulo rum drachmam dimidiam, roſarum purpurearum, ſandali rubri, coralli rubri, myrobalanorum trium, ſcilicet emblicarum, chebularum, indarum, ſingulo rum drachmam unam, aloës rite ablutæ tantundem quantum cunctorum pondus. Confice pilulas mero quàm electiſſimo. Sequuntur pilulæ ad ſoluendam melancholiam aliquanto ualidiores, ueruntamen mi nime uiolentæ. Sume peoniæ, myrrhæ, ſtichados Ara bici, meliſſæ, thuris, croci, myrobalanorum trium, ſcilicet emblicarum, chebularum, indarũ, roſarum, ſingulorum drachmam unam, trochiſcorum Agari ci, polipodij, epithymi, ſenæ, lapidis lazuli rite lo ti & præparati, lapidis Armeni effecti ſimiliter, dra chmas treis ſingulorum, Aloës lotæ uncias duas, ui no perfecto pilulas confla. Si cum melancholia ma niſeſta caliditas dominetur, quæ in hac compoſitione ſunt frigida, ad tertiam inſuper ponderis ſui partem augenda erunt. Has pilulas ut literarũ ſtudioſis con uenit, Græcorum, Latinorum, Arabumq; imitatio ne compoſui: nolui uero fortiora miſcere, quale ue ratrũ, quo Carneades fanaticus utebatur. Viris enim literatis tantum uel paulò firmioribus conſulo, qui-

Alia cõpo ſitio.

bus nihil pestilentius est quàm uiolentia. Ideo præ termisi pilulas Indas, lapidisq; lazuli uel Armeni notas, & quam compositionem Ieralogodion appellant. Si denique decet simpliciorem compositionem inferere, qua ego familiarius utor: Sume Aloës lotæ unciam unam, myrobalanorũ emblicarum atque chebularum, utriusque pariter drachmas duas, mastichis drachmas duas, duas quoq; rosarum præsertim purpurearum, confice pilulas uino. Proinde pilulis aut ijs, aut illis, ex ijs scilicet quas probauimus, nemo unquam solis uti debet, ne forte nimiũ exiccetur: quod quidem in melancholia pessimũ est, imò uel unà cum syrupo, quem sequuti partim Mesuem, partim Gentilem Fulginatem suprà descripsimus, uel cum uini odori leuisq; unc. una siue duabus siue tribus, ut cuique cõuenit. Aut cum aqua mellis & passularũ atq; liquiritiæ. Aut sicubi caliditas dominatur, cum iuleb uiolaceo aquáque uiolacea. Omnino autem consulo literatis, quicunq; ad atram bilem sunt proniores, ut hac purgatione bis quolibet anno, Vere scilicet autumnoq; utantur diebus quindecim continuis uel uiginti, pilulis scilicet cum syrupo atq; similibus. Quicunque uero paulò minus huic morbo obnoxij sunt, sat habebunt, si pilulas primas aut ultimas toto anno sumant, semel hebdomada qualibet, æstate quidem cum Iuleb, ut diximus, aliâs uero cum uino.

A liqui

A liquidarum medicinarum uſu Medelæ. Cap. XXI.

MEminiſſe uero oportet, ubi maximũ in exic catione periculũ imminet, purgare tamen neceſsitas cogit, operæpretium eſſe pilulas intermittere, atque in ipſo ſyrupo uel ſimili quadam decoctione, facta in aqua Bugloſſæ quando purgandum eſt, interdum infundere diaſenæ, uel diacatholiconis, uel Tripheræ perſicæ unciam unam, aut ſaltem dimidiam. Quod ſi uel corpus robuſtius ſit, uel aſtrictior et durior aluus, addere electuarij Hamech drachmã unam aut duas. Vtilis quoque hic eſt confecta Caſia, utilior Manna. Nec omni melancholiæ ſpeciei conueniunt, ſed illi maxime quæ aduſtione creatur. Sin autem melancholia naturalis ſit, cõueniunt quidem, uerum præcipue ſi in ſyrupo addatur polipodij portio dupla uel tripla, ſimiliter liquiritiæ crociq; & paſſularum. Item medicinæ addantur mellis roſacei liquidi unciæ duæ. Quoties uero ſyrupus ſumendus ſit, in ſuperioribus diximus. Sed medicina cum ipſo ter uiginti diebus ſumenda erit. Verum ſi melancholicus nullus humor appareat, tantum uero complexio melancholica, ſcilicet frigida membrorum qualitas atq; ſicca, memento ducere aluum uel mittere ſanguinem minime expedire, ſed reliqua duntaxat facere, quæ uel diximus, uel dicemus. Præſertim quæcunque ad

corpus pertineat, mediocriter calefaciendum atque magnopere humectandum, spiritusq; quoad fieri potest illuminandos, fouendaq; membra. Vbi uero ipse atræ bilis humor exundat, non madefacimus tantum corpus atque humorem, sed etiam soluimus aluum ea cautione qua diximus. Nunquam uero uehementer. Siquidem Plato in Timæo nos monet, diuturnũ morbum, qualis est melancholicus, non esse nimis ualentibus medicamentis atq; molestis pharmacis irritandũ.

Sanguinis mittendi Canones.

Cap. XXII.

Copiosioris sanguinis notæ.

SVnt nonnulli in sanguine mittendo audaciores, quos medici sapientes admodũ detestantur. Nã sanguis est atræ bilis temperamentũ, spiritus fomes, uitæ thesaurus. Solum uero ubi abundantiam sanguinis indicat, uel profusior risus, audaciaq; & confidentia multa, uel color rubens, uenarũq; tumor, mittere sanguinem literatis quando res postulat, debemus è uena lienis sinistri brachij, lata quidem incisione, quatuor uncias mane, uespere totidem. Deinde paucos post dies, saltem septem, ad summum quatuordecim, tum frictione quadam asperiore, tum admotis hirudinibus, quas Sanguisugas nominant, marisca irritare, ut sanguinis unciæ tres aut quatuor inde destillent. Hæc ambo robustioribus tantum facienda uidentur. Debilioribus uero, si necessitas postulat,

lat, mariscas solum sicut docuimus, irritare. Sed neque uentrem medicinis soluere, neq; mittere sanguinem licet, nisi prius clysteribus pinguibus mollibusq; lenieris. Atq; hoc sit in melancholica natura commune præceptum, dandam esse operam, ut si oportuerit eiusmodi clysteribus frequentatis uenter inferior lubricus semper sit atque purgatus.

De Electuarijs & Confectis.

Cap. XXIII.

SEquuntur Electuaria, ex quibus laudo equidē quod Rasis, Exhilarans appellauit. Præterea quæ in libro De uiribus cordis Auicenna componit, sed multo magis quod Mesues ita cōscribit. Sume crudum sericum colore coccineo nuper tinctum, pondere libram unam. Id merge succo pomorū dulcium & suauiter redolentium, atque succo buglossæ, aquaq; rosacea, singulorum libra una, post quatuor & uiginti horas, totum id coque suauiter, donec aqua ru beat. Deinde extrahe sericum, atque insuper exprime diligēter. Infunde mox sacchari candidissimi centum & quinquaginta drachmas, coque rursus donec quasi mel spissetur. Amoue tunc ab igne, atque infunde dum calet, ambræ crudæ diligenter conscissæ drachmas sex, & ut liquescat ambra permitte. Postremo adde his puluerem eiusmodi. Sume ligni Aloës crudi, cinnami, utriusque æque sex drachmas, lapi-

dis Lazuli rite abluti drachmas tredecim, unionum, id est albarum margaritarum drachmas duas, auri ueri drachmam unam, musci electi partem drachmæ dimidiam. Dantur ex eo cum uino drachmæ duæ uel una, mane ac uespere ante cibum tribus aut quatuor horis. Id mihi præ cæteris ualde placet. Verùtamen probo etiam diamuscum Mesues dulcem, compositio nemq; gemmarum, modò cum aqua rosacea adsumantur. Laudarem quoque mirifice quod est à Petro Ebanensi philosopho summo, conflatum, nisi ipsemet ex eius immodico usu dilatationem exhalationemq; spirituum nimiam formidaret. Quamobrem duo quædam insuper excogitaui tutissima, atque ob temperationem suam cuilibet tempori, ætati, naturæ conuenientissima, in quibus miscetur utile dulci. Quæ tantum nutriunt quantum fouent & roborant. Præterea spiritui & ingenio tantum stabiliendo, quantum acuendo & illustrando conueniunt. Sume sacchari rosacei uncias quatuor, sacchari unà cum floribus buglossæ concocti uncias duas, corticis pomi citri saccharo conditi, unciam unam, chebulæ conditæ uncias duas, cinnami electi drachmam unam, sandali, coralli scilicet utriusque rubri, item serici coccinei crudi & conscissi, croci, margaritarum, singulorũ drachmam dimidiam, auri, argenti, singulorum tertiam drachmæ partem, ambræ, Musci utriusq; grana duo.

duo. Funde omnia simul succo citri uel limonis, saccharo cocti. Sequitur Confectio altera aliquanto salubrior, certe multò suauior. Sume amygdalarũ dulcium quatuor uncias, nucleorum pineorũ scilicet abalutorum diei unius spacio, seminum cucumeris, utrorumq; pariter uncias duas, sacchari duri quod Candum, id est, candidum uocant, quatuor uncias, sacchari alterius et albissimi, libram unam atque dimidiam. Funde cuncta hæc aqua rosacea, atque limonis & citri, in qua extinctum fuerit ignitũ aurum & argentum, simul coque suauiter. Demũ adde cinnami, been rubri, sandali rubri, coralli similis, singulorum drachmam unam, margaritarũ nitidissimarum, croci serici crudi coccinei minutissime attriti, singulorũ drachmam dimidiam, auri, argenti, utriusq; grana duodecim, hyacinthi, smaragdi, saphiri, carbunculi, singulorum tertiam drachmæ partem. Si cui uero desunt aurum, argentũ, ambra, muscus, preciosi lapilli, confectiones illæ etiam prodesse multum sine his poterunt. Quarũ treis potissimũ eligo, unam scilicet Mesues, quam recensui, duas uero nostras, quas modo descripsimus. Quo uero pacto ijs utendũ sit, superius satis exposuimus. Si quis autẽ simpliciùs aliquid appetat, omnibus tamen accõmodatũ, hic citri pomum perfecte maturũ, integrum perfecte contundat, multoq; saccharo & multo rosarũ succo adhibito, Cap. 12

to, coquat. Cocti uero modico cinnamo crocoq; condiat, aut aromatico rosaceo utatur sic temperato. Sume aromatici rosacei unciam unam, sacchari rosacei, sacchari diabuglossati, utriusq; uncias duas, aut similiter, misceat Diamuscum. Quanquam enim duo hæc nõ sint simplicia, tamen facile satis habentur. At si caliditas timeatur, diaprunis & saccharum uiolaceum adiungantur.

Emaciantis uigiliæ Remedia.

Caput XXIIII.

SAepe melancholicis, præsertim literatis accidere solet, ut nimiũ exiccato cerebro, uigilijs longis extenuentur. Quoniam uero nihil atræ bilis malo magis auget, quàm longa uigilia, tanto malo, omni studio succurrendum. Ideo Lactucas post cibos alios edant unà cum pane modico, pauculo croco, uinumq; purum sorbeant post lactucam, neq; ultra horã lucubrent. Quũq; se dormitũ conferunt, confectionẽ eiusmodi sumãt. In qua seminis papaueris albi unciæ duæ sint: seminis lactucæ uncia una, Amomi, croci scilicet utriusq; pars drachmæ dimidia, sacchari unciæ sex. Dilue & coque omnia simul syrupo papaueris. Edant huius drachmas duas, simulq; nonnihil syrupi papaueris gustent aut uini. Illinias eis frontem temporaq; oleo ex uiolis, & ex nenufare adiecta camphora. Item lacte oleoq; amigdalino atque uiolaceo. Odorem

rem croci & camphoræ, putaminumq; dulcis mali naribus admoucbis. Accti insuper modici, sed aquæ rosaceæ plurimæ. Sternes quoq; lectum plantarũ foliis frigidarum. Aures suauibus cantibus sonisq; delinies. Humectabis sæpe caput eiusmodi lauacris, scilicet aqua in qua cocta sint frusta papaueris, lactucæ, portulacæ, maluæ, rosarum, uitis, salicis, arundinũq; folia, addita camomilla. Balneis quoque dulcibus ex rebus eiusmodi, sæpe tibiæ brachiaq;, sæpe totũ corpus est humectandum. Lac insuper bibere mixtũ saccharo scilicet stomacho uacuo, si modo stomachus optime toleraverit, maxime prodest. Humida hæc melancholicis etiam si satis dormiant mirifice conferunt. Memento lac amigdalinum mensæ familiarissimum esse debere.

Memoriæ hebetis atq; obliuionis Remedia. Cap. XXV.

Accidit uero nõnunquam ut studiosis, uel quia sedulo inclinato capite legant scribánt ue, uel quia ocio nimio torpeant, pituita quædam uiscosior unà cum frigida nimis melancholia caput occupans grauet, atq; hebetes obliuiosoq; efficiat. His ergo caput exonerandum est ijs remedijs, quæ aliâs diximus pituitæ conuenire. Sin minus illa sufficerint, ad pilu Cap. 13.
las Indas & cocchias ieralogodionq; cõfugito. Præterea ad ieram diacoloquintidos uel Archigenis, uel

Andromachi uel Theodocionis, aut ad pilulas Iudæi, quas Mesues in capitulo De capitis dolore describit. Quod si natura ætás ue frigidior sit, nec æstas obstiterit, post purgationem utere confectione illa anacardina, quam Mesues sapientum confectionem nominat in Antidotario. Rursus anacardina illa, quã in capitulo De obliuione ex sentẽtia filij zachariæ recenset. Da summo mane drachmã unam, sed qui eam sumit, ab ira, coitu, ebrietate, labore, rebusq; calidis eo die prorsus abstineat. Hæc quidem aduersus hebetudinẽ obliuionemq; ualentissima sunt. At uero si familiaria magis optes, da gingiber conditum, sed modico thure mixtum, quod sensibus & memoriæ magnopere prodest, præsertim his adiectis, scilicet melle anacardi, melle chebularum, acoris, ciperis, ambra musco. Prodest etiam diambra, pliris sarcoticon, et diacori. Sed hæc ore diutius retinenda, naribus etiam & auribus infundenda. Odor quoque thuris, amaraci, maratri, nucismuscatæ, rutæ, gariophilorum, prodest non mediocriter. Memento tamen Theriacam in his atque similibus, quemadmodũ ab initio diximus, nulli unquam remedio postponendam. Præterea hebetibus obliuiosisq; tempora & ceruicem unctione eiusmodi unge. Sume olei sambucini unciam unam, olei de been uncias duas, euphorbij unciam dimidiam, castorei quoq; tantundẽ, perfricabis brachia, crura ceruicemq;

uicemq; uehementer. Ac si opus fuerit, ceruici cucurbitulas admouebis. Verticē præterea capitis amaraco, thure, nucemuscata tunsis operies atq; fouebis.

Spirituum custodiæ nos esse intentos debere. Cap. XXVI.

SI homines ueritatis cupidi, tanta medicorū diligentia corporeum spiritum curare debent, ne forte omnino neglectus, uel impedimento sit, uel inepte seruiat quærentibus ueritatem, multo proculdubio diligentius incorporeum spiritum, id est intellectum ipsum disciplinæ moralis institutis colere decet, quo solo ueritas ipsa quum sit incorporea, capitur. Neque enim fas est solum animi seruum, id est corpus colere, animum uero corporis dominum regemq; negligere: præsertim quum Magorum Platonisq; sententia sit, corpus totum ab animo ita pendere, ut nisi animus bene ualuerit, corpus bene ualere non possit. Quapropter medicinæ author Apollo, non Hippocratem, quamuis ex sua stirpe genitum, sed Socratem sapientissimum iudicauit. Quippe quum quantū Hippocrates corpori, tantum Socrates animo sanando studuerit: quanquam quod tentauerant illi, solus Christus effecit. Proinde mentem nostram optimis colere moribus à Socrate iccirco iubemur, ut lucem ueritatemq; à nobis naturæ instinctu quæsitam serena mente facilius assequamur, quanto magis ueritatē ipsam

ipſam diuinam in primis religione ſancta fas eſt uenerari? Ad quam quærendam capiendamq; non aliter creata mens eſt, quàm oculus ad lumen ſolis perſpiciendum. Atque, ut Plato noſter inquit, quemadmodũ uiſus nihil uſquam uiſibile perſpicit, niſi in ipſo ſummi uiſibilis, id eſt ſolis ipſius ſplendore, ita neque intellectus humanus intelligibile quicquam apprehendit, niſi in ipſo intelligibilis ſummi, hoc eſt dei lumine nobis ſemper & ubiq; præſente. In lumine inquam, qđ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. In lumine de quo canit Dauid: In lumine tuo uidebimus lumen. Profecto quemadmodũ purgatis oculis, inq; lumen ipſum aſpicientibus, ſubitò ſplendor eius infunditur, coloribus figurisq; rerum abunde refulgens, ita quum primum ab omnibus corporis perturbationibus per moralem diſciplinã purgata mens eſt, atque in diuinam ueritatem, id eſt deum ipſum religioſo quodam flagrantiſſimoq; amore directa, ſubito, ut diuinus inquit Plato, diuina menti ueritas influit, rationesq; ueras, quæ in ipſa continentur, quibuſue omnia conſtant, feliciter explicat: quantóque mentem circumfundit lumine, tanto ſimul & uoluntatem gaudio beate perfundit.

DE STVDIOSORVM SANITATE TVENDA, LIBRI FINIS.

MARSILII FICINI FLO

rentini in librum Secundum de Vita produ cenda, ad Philippum Valorem, epistolare Proœmium.

QVanquam Plato noster Genio suo uiuit, & uicturus est, ut arbitror, dum mundus ipse uiuet: meus me tamen Genius huc semper impellit, ut post diuinum cultum ante omnia Platonis uitæ prospiciam. Ad hoc ipsum iam diu nobis aspirat præ cæteris Medica domus. Ad idem conspiras & tu mi Valor, Medicûm amicissimus, & Platonicæ gloriæ atque disciplinæ admodũ studiosus. Quam ergo uitam Platoni semper exopto, eandem opto Medicibus, similemq; Valori. Quamobrem hortor & obsecro te mi Valor, ut quanta semper opera gloriæ Platonicæ faues, tanta aliquando diligentia præcepta hæc nostra de uita producenda legas atque serues. Quibus diu uiuens resurgenti nuper disciplinæ Platonis diutius unà cũ magnanimo Laurentio Medice patrocinari possis.

Vale.

MARSILII FICINI FLORENTINI MEDIci atque Philosophi insignis, De uita producenda, siue longa.

LIBER II.

Ad perfectionem scientiæ, necessaria est uita longa, quam diligentia præstat. Caput primum.



AD artem scientiamq; perfectã non tam uel docilitas ingenij, uel memoriæ firmitas, quàm prudentis iudicij perspicacia nos perducit. Iudicium uero propter ambiguitatem ex cõiecturarum diuersitate conceptam, adeò difficile est, ut experimento sit necessario confirmandum. Experimentũ quoq; fallax, tum propter iudicij ipsius difficultatem, tum propter fugacem opportuni in experimento captando temporis breuitatem. Quibus sanè de causis artem esse longam unà cũ Hippocrate recte cõcludimus, nec posse nos eam nisi uitæ longitudine consequi. Vitam uero longam non solum ab initio semel fata promittunt, sed nostra etiam diligentia præstat. Quod & Astro-

Αφορισ. α

logi confitentur, ubi de Electionibus & imaginibus agunt: & Medicorum cura diligens, experientiáque confirmat. Qua quidem prouidentia non solum homines natura ualidi sæpißime, sed etiam ualetudinarij uitam longam aliquando consequuntur, ut non mirum sit Herodicum quendam literarum studiosum omnium sui temporis infirmißimũ, ut Plato & Aristoteles testantur, eiusmodi prouidentia annum ferè centesimum impleuisse. Plutarchus præterea narrat multos corpore alioquin parum firmo, uitam sola diligentia longam consequutos. Mitto in præsentia, quot imbecillos ipse nouerim, prudentiæ munere robustißimorum annos superauisse. Neq; igitur inutile fuerit, neq; uanum, post librum De curanda ualetudine literatorum à nobis compositum, præcepta quædam insuper ingenijs scientiæ cupidis ad uitam longam conducentia, tradere. Instituta uero hæc nec inertibus ignauisq; communicari uolumus. Quid enim cupiamus istos diu uiuere, qui nec uiuunt quidẽ, quasi fucos nutriamus, non apes? Nec hominibus diuulgari, perdita uoluptatum libidine dissolutis, qui breuem quotidie uoluptatẽ longæ uitæ, stulti præponũt. Nec improbis iniquisq; patefieri, quorum uita mors est bonorum. Sed uiris duntaxat prudentibus atque temperatis, solertis ingenij uiribus humano generi uel priuatim uel publice profuturis.

Quibus hæc prodita uelit.

Vitalem calorem nutriri humore, cuius ultrà citraq; excessu fieri corruptionem dissolutionemq;

Cap. II.

VIta quidē tanquam lumen in naturali calore consistit. Caloris uero pabulum est humor aērius, atque pinguis quasi oleum. Siue igitur humor ciusmodi forte deficiat, siue prorsus excedat, uel inquinetur, calor naturalis statim debilitatur, & tandem debilitatus extinguitur. Si humoris defectu calor debilitatur & perditur, mors resolutione contin-

Ἀμιτζία νόσας τίκτει.

git. Si potius obruitur humoris excessu uel uitio, uita suffocatione perit. Suffocatio uero humoris cuiuslibet exundantia uel putrefactione contingit, præsertim pituita uel excrescente uel quomodolibet putrefacta, ut non immeritò Pituita petens uitam fuerit nominata. Præcepta igitur ad producendam uitam maxime necessaria: hinc quidem resolutionem, inde uero suffocationem putrefactionemq; æque deuitant: Aeque, inquam, ratione communi. Nam si calidiorem sicciorém ue hominem forte curant, & cui meatus quidem aperti sunt, humores autem spiritúsque subtiles resolutioni magis occurrunt. Sin autem contraria ratione corpus affectum tractant, potius suffocationi subueniunt. Maxime uero in alterutro student, si ad alterutrum locus tempús ue declinet.

At

At ubi ingeniosis studiosisq; consulitur, utrunq; præceptum ferme est pariter necessarium, in utroque similiter laboratur. His enim acutũ quidem calidumq; ingenium, & imaginationis motus assiduus, resolutionem: ocium uero corporis atque eruditas, suffocationem minitari uidetur. Nusquam igitur Medici uehementius quàm in eiusmodi hominum curatione laborant. Etsi tota libri superioris disputatio ad prorogandam uitam maxime confert, propriam tamen quandam res tanta curam, qualem deinceps quoad potero paucis comprehendam, postulare uidetur.

Quomodo sint temperandi calor & humor quodam Mineruæ consilio. Cap. III.

CAeterum dum oleum istud pingue, igneo huic uigori nostro necessarium, pingi Minerua tradamus, Minerua interim oliuifera olei uitalis origo almi uidelicet Iouis capite nata ridet, quod sui muneris quantitatem planè cernentes, interea non satis uidimus qualitatem. Ridens ergo, uobis, inquit, oleum non modo quantum sat flammæ nutriendæ foret, abunde dedi, sed etiam sine amurca syncerum infudi lucernæ. Hæc illa. Nos autem inter loquendum errantes offendimus, quoniam lucerna pedibus nostris uerbum suum nondum nobis auditum. Ex hac ergo lu-

cerna discamus, oleum iugiter flammæ subministrandum, ea scilicet diligentia, ut nec repentina quadam lumen obruamus illuuione. Nec rursum differamus sitibundo potum. Sed hæc quidem duo, satis in superioribus tractata putamus. Reliqua nobis duo sunt, quorum alterum leuiter tetigisse, alterũ uix attigisse uidemur. Tangentes interim ita Palladem, ut ridere nunquam solita, nos rideret. Quid ergo? Primo quidem considerabimus flammam uel pauculam esse prorsus edacem, ideoq; lucernam illam lucere diutius in qua sic flammula est ad ellychnium, id est lucinium temperata, ut non ebibat oleum, sed pitisset. Itaque & nos in omni diæta cauebimus, ne quando, præsertim in iuuentute, nimium inualescat insitus ignis suapte natura uorax. Sat uero fuerit tum humorem inundantem, tum penetrabile frigus hinc arcere. Deinde lucernam cogitabimus frequẽter extingui, quando non syncerum oleum instillauerit, sed (ut ita dixerim) amurcosum. Vnde paulò post concrescunt ex amurca fungi, lumenq; extinguunt. Iam uero nos alium á Pallade suscepimus oleum scilicet aëriũ quam plurimum purumq;, et natiuo quodam lentore tenax atque firmum. Quod ergo huic paulatim absumpto suggeritur, non solum huic æquale debet esse, sed simile. Vt uero sit simile, non tantum aërium esse debet & pingue, sed penitus ab amurca secretum, id est

à fæce

à fæce quadam ex terra & aqua craßiore congeſta. Hanc ergo congeſtionem fæcemq; uitaturi, alimenta ciuſmodi fugiamus, & ocium & cruditatem atque ſordes. Interea uero Mineruam ea moderatione colamus ut caput quidem de quo nata eſt ipſa, nobis augeat, neruos autem ſtomachumq; non minuat.

Areſcentis humidi naturalis & alieni exuberantis cauſæ. Et quàm neceſſaria ſit ad uitam perfecta digeſtio.

Cap. IIII.

NAturalem humorem uelociter hæc exiccant: Sanguinis fluxus uberior: Violenta ſolutio uentris: Diu lubricus aluus: Profuſus ſudor: Latius patefacti meatus: Coitus ad debilitatem factus: Sitis anhela: Fames crucians: Vigilia longa: Vſus præcalidarum rerum ſimulatque ſiccarum: Laborioſus animi corporisq; motus: Anxietas: Ira: Dolor: Siccior ſimulatque feruentior aër, præſertim igne calefcens: Ventus aridior & uiolentus atque diuturnus; Humorem ſupra modum augent ijs contraria. Ebrietas frequens utrunque facit. Nimio enim tum calore ſiccat, tum humore ſuffocat ebrioſum. Nihil autem magis quàm cruditas ad utrunq; nocet. Vbi enim non concoquitur alimentum, hinc quidem deeſt quo naturalem irriget humorem: inde uero putrefactum ſu-

pereſt, quod exundans, calorem obruat naturalem. Quamobrem Auicenna corumpi ſanguinem inquit, ubi digeſtio ipſa corrumpitur, ſecutusq; Galenum appellat digeſtionem, uitæ radicem. Optima igitur eſt & quaſi unica hæc regula Galeni, concoctionem cibi præ cæteris ubiq; curare. Nam quod maximum uidetur eſſe præceptū, ſalubribus uidelicet uti, nihil proderit niſi coquas. Siquidem ex his fermè ſicut ex contrarijs noxius humor profluit, ſi cruda membris influxerint. Ex cibis autem, etiam minus arte laudatis ſæpe minus malum accipitur nutrimentum, ſi uehementius concoquantur. Cruditatem igitur tanquam grauem reſolutionis ſimul & ſuffocationis cauſam, diligentiſſime deuitemus, quantitate uidelicet cibi potusq; nobis accommodata: Qualitate, ſimplicitate, præparatione, contritione, ieiunio reuocante famem, ac ſi opus fuerit, ſtomachi etiam exteriore fomento, rebusq; quibuſdã ſtypticis poſt epulas intus aſſumptis Caueamusq; diligenter, ne cibum potus exuperet: Néue cibus ſit liquidior, aut durior: aut hic uel ille ualde ſit actu frigidus, aut alimenta ſint longe diuerſa, aut crudum addamus crudo. Hæc enim concoctionem magnopere prohibent. Caueamus inſuper diligentiſſime, ne uel coitu ſtatim poſt cibum, uel ſomno meridiano ſæpius non neceſſario, uel nocturna uigilia, uel labore animi ullo, ſiue corporis importuno, uel

Coctionis ad uitã neceſſitas.

uel alio quopiam pacto, digestionem impediamus. Digestionem dico equidem non primam tantum, quæ fit in stomacho: sed secundam etiam quæ fit in iocinore: Tertiam insuper quæ in uenis: Quartam denique quæ in membris efficitur. Quæ longo quodam indigent interuallo, & quauis impedita, pabulum non suppeditatur humori. Proinde sicut digestionem, sic excrementorum purgationem adiuuare in primis necessarium est ad uitam. Necessarium, sordes etiam à cute detergere. Necessarius est motus corporis tam continuus, tam temperatus, tam uarius, quàm cœlestium aërisq; motus & ignis & aquæ: seruata duntaxat concoctionis & somni necessitate. Defatigatione uero & resolutione uitata. Præterea sub umbra situm cariemq; obducimus. Sub diuo, sub lumine uiuimus. Quod pater meus Ficinus insignis medicus, frequenter habebat in ore. Sed ad hæc feliciter peragenda operæpretium foret, non tam urbanis negocijs quàm rusticis quibusdam exercitationibus à tenera statim ætate corpus assuefeciſſe, & quodammodo similibus. Interdũ etiã nutrimẽtis, & uitæ genus quodãmodo uariũ tenuiſſe. Quod me sæpius ille prudens monebat. Qui enim in omni ætate lautissima quadam curiositate uiuunt, sæpe minus tuti uiuunt. Qui uero adulescentes se minus assuefecerint, adulti saltẽ assuefaciant, cautioribus tamen gradibus & paulatim id tentantes. Digestiões quatuor.

Sanguis & humor accommodatus uitæ, aëri-
us esse debet, qualitate temperatus, sub-
stantia medius atque tenax.

Cap. V.

GRæci omnes inter præcepta ad diuturnam ui tam maxime necessaria, mandant ut euchymis clamur. Euchyma uocamus alimenta salubria, quæ bonum afferunt nutrimentum, id est, sanguinem bonum. Bonum uero sanguinem appellamus, non frigidum, non siccum, non turbulentum, sed calidum & humidum atque clarum. Calidum quidem calore non acri. Humidū uero humore non aqueo. Clarum quoque, nec tamen interea tenuissimum. Iam uero feruentior sanguis, naturalem tum calorem exacuit, tū exiccat humorem, & quem ipse humorem infert uel calorem, resolubilem præstat atque fugacem. Sanguis præterea humidior proniorq; ad aquam, naturalem obtundit calorem, humorem quoque naturalem uel hebetat, uel impellit sub calore liquescere, uel suffocat humiditate calorem. Et omnino, si qua portio naturalis humoris ex aqueo sanguine trahitur, tum putrescit facile, tum citò diffluit atque dissoluitur. Hinc efficitur ut qui molliores fructus herbasq; comedunt, nisi raro forsan & pro medicina tunc uentrem lenientes sumant, breui uenas succo crudo putrefactioniq; obnoxio penitus impleant. Ac ne id accidat, tutius

pro

pro alimento uel coquuntur, uel saltem cũ pane miscentur. Sanguis ergo nec igneus esto, nec aqueus, sed aërius. Non aëri crassiori similis, ne procliuior sit ad aquam. Non aëri subtilissimo, ne facile incalescat in ignem: sed substantiam teneat mediocrem, in qua medius aër dominatum habeat plurimũ. Cætera elementa insint, quatenus aëris accommodantur imperio. Non sit eius substantia subtilissima, ne humorem instabilem generet, spiritumq; uolatilem & dissolutioni subiectum. Non sit crassissima, alioquin & ingenio minime ministrabit, & uix in naturalem humorẽ ac spiritum permutabitur, meatus obstruet, suffocationi dabit occasionem. Et spiritus qui uix tandem crassus inde creatur, densitate sua & ipse parum idoneus est ad uitam, et calorem naturalem ita suffocat, sicut fumus densior flammam comprimit protenus & extinguit. Mitto quod saltem adeò tenebrosus est, ut uitam efficiat mœstam, morte deteriorem. In primis autem, ut mihi uidetur, ad uitam expedit diuturnam, sanguinem unà cum substantia quidem aëria ualde, nec admodum crassa, habere glutinosum aliquem in se humorem atque tenacem, qualem fermè cum subtilitate habet oleum oliuarum, & humor anguillæ pinguis simulatque tenuis, & oleum ex terebinthina quadam sublimatione tractum. Tu igitur alimenta, cæteráque omnia quæ sanguinem pro uiribus, humo-

Aëri qualitates reliquæ cõtemperandæ.

rémque talem efficiant, diligenter eligito. Sanguis enim humorq; talis sicut oleum flammæ, ita uitali calori pabulum est, & unà cum subtilitate habet etiam firmitatem. Præceptum enim Rasis est pro iuuentute seruanda, rebus uti sanguinem ad præcordia transducentibus ibique condensantibus, corq; fouentibus. Quod Auicenna probat, aquosum labilemq; sanguinem præcipiens euitandum. Differens autem in hoc, pro differentia corporum, ratio est habenda. Nam ubi densius corpus est, ad subtilitatem sanguinis: ubi rarius, ad crassitudinem eiusdem, omnibus est remediis declinandum. Vbi media corporis habitudo, uia similiter media tutius imus. Nunquam tamen naturalem corporis habitudinẽ extirpare conabimur, alioquin uitam ipsam extirparemus. Expedit insuper meminisse, ubi subtilitatem sanguinis ualde ueremur, & stomachus interea non sit admodum naturaliter ualidus, minutioribus ad crassitudinem gradibus accedendum esse, dum gracilem hominem crassioribus alimentis nutrire contendimus, & fouendum interim stomachum & producendum somnum. Exercitationem corporis pro uiribus augendam, animi minuendam, quæ plurimis sæpissime nocet. At si minus ferat alimenta uiscosa nimium duraq; uel admodum frigida, usu saltem corallorum, sandalorum, rosarum, coriandrorum, myrobalanorũ, cydoniorum & diacydonion,

Omne immoderatũ cõtrario ad mediocritatem refertur.

nion, sacchariq; rosacei, stypticarũq; rerum eam sanguinis humorisq; firmitatem deniq; cõsequemur, quã rebus nimiũ glutinosis hic tutò consequi non ualemus. Commodissime uero ex nuclcis pineis pistaceisq; & glycirrhizæ suceo & amido additis amygdalis dulcibus, earumq; oleo & cydoniorum semine, atque oleo sisamino unà cum saccharo candidissimo aquaq; rosacea nutrientur, qui uiscosa grandiorum animalium membra concoquere nequeãt. Concedemus his præterea extrema gallinarum uel hœdorum & testudines & limaces atque testiculos. Vina dabimus non alba, sed rubra stypticaq; & quodammodo subamara. Aqua uinum ferrea uel masticea temperantes. Oleo quoq; masticis cydoniorumq; cutem leuiter leniemus, & uetabimus interim quæ sanguinem subtilem faciunt uel feruentem, nisi forsan nonnihil croci uel cinnamomi tenacioribus epulis infundamus, ut & facilius concoquantur, & cocta per meatus angustos transferantur ad membra. Difficile nanq; est uiscosa uel alimenta paulò firmiora ex stomacho non admodum ualido usq; ad digestionem tertiam quartamq; perducere, nisi eiusmodi uehiculis perferantur, atque insuper frictionibus lenibus prouocẽtur. Quas quidem quum facies, manibus eas mollioribus facito. Ac memento madefaccre manus odorifero quodam uino, in quo camomillam myrtumq; coxeris atq; rosas.

De cõmuni edendi bibendiq; regula, & qualitate epularum. Cap. VI.

SEd missa in præsentia faciamus obtusissima hominum corpora uel tenuissima, ad communem uiuendi rationẽ perueniamus, communi mediæq; corporis habitudini prorsus accommodatam. Caue ne ulla ratione meatus corporis uel supra modum pateant, uel nimium obstruantur. Ibi enim in resolutione & iniuria extrinsecus inferenda discrimen: hic autem in putrefactione & suffocatione periculum, & si non arctissimo regulæ freno quod Hippocrates damnat, te cohibeo, non tamen habenas tibi ad licentiã usque relaxo. Herbas & fructus humidiores accipe parcè. Parcius lac & pisces, & utrunq; cum melle. Parcissime fungos, atq; cum aromaticis ac semine pyri. Similiter purum aquæ potum, atque unà cum parcitate. Quæ humidiora sunt uel pinguia, aromaticis acribusq; condito, alioquin & humorem alienũ membris plurimũ inferunt atque putridum: & si quem necessariũ naturæ humorẽ suggerunt, hunc præstant citæ admodum corruptioni subiectum. Quod non aliter quàm a quosum uinũ conturbatur celeriter & corrumpitur. Hinc cita canicies, & pallor rugositasq; senilis. Carnes quoq; si quotidie comedantur, ac etiam si ponderepani propinquent, citam putrefactionem inferunt. Vnde Porphyrius Pythagoreorũ antiquiorumq;

numq; autoritate fretus, esum animalium detestatur. Nonne homines accepimus ante diluuium longæuos, animalibus peperciſſe? Quanquam Medici non tam carnium uſum uetant quàm abuſum. Deniq; humida tanquã putrefactioni obnoxia fuge, memoria tenens humidos & pingues ſeneſcere citius atq; mori. Quod & Hippocrates ait, & res ipſa declarat. Siccißima rurſum accipe moderate, uel ſaltem liberiore temperatura potu. Media tutus eligito. Tametſi Auicennna formam cibi paulò ſicciorem molli præponit, ad canicie euitandam. Ad frigida nimium aut calida cautiſſimus eſto. Calida ſimul & humida ſequere. Si feruet aër, epularum humor calorẽ ſuperet: ſi friget, calor humorem. Vtrobiq; uero modicus ſit exceßus. Vbique calor & humor nonnihil glutinoſum habeat atque ſtypticum, ut illinc membris irrigatus humor inhærere at firmius, ac diu ſub calore perduret. Electum triticum & panis electus hoc in primis habet. Deinde rubrum ſtypticumq; uinum parumq; dulce. Tertio pinei nuclei resq; ijs temperie & lentore perſimiles. Quarto carnes non humidæ ſimulatq; laxæ, ut ſuillæ & agninæ lactentes. Medici tamen ueteres, maxime Galenus, ſuis carnes & ſanguinẽ, propter quandam cum corpore noſtro ſimilitudinẽ ualde commendant. Optimæ ſunt igitur ſimilibus corporibus, ut ruſticis & robuſtis corpusq; multũ exercitantibus, præ

sertim si quatriduum gariophylis, coriandris præparatis, sale conditæ seruentur. Et sanguis forsan utilis si cum saccharo coquatur, defecatusq; ad sumum fierit atque liquens. Sed ut ad numerū reuertamur, non probantur carnes humidiores, quales diximus, non durę simul atque siccæ quales uetustioris leporis atq; bouis, sed mediæ quædam, ut gallinaceorum, pullorum, caponum, pauonum, phasianarū, perdicum, forte etiam pullorum columbinorum, præsertim domesticorum. Tales quoq; sunt capreoli uituliq; iuuenes & anniculi uerueces pariter atq; apri. Hœdos non sperno lactentes, caseumq; recentē. Auiculas equidem prætermisi. Frequens enim subtiliorum alimentorum usus stomacho solum conuenit crassiora minime toleranti. Qui uero ualidior est, fugacem ex ijs fumum reportat uel humorem. Oua tamen gallinarum non prætermitto, si uitellus unà cū albo comedatur. Vitellus nanq; solus delicatorū est nutrimentū: nam Auicenna probat nutrimentum nullum expedire magis in diminutione sanguinis & dissolutione spiritus cardiaci quàm uitellum oui gallinæ, uel perdicis, uel phasianæ. Neq; forte ab re fuerit anseres nutrire spelta aquá ue nitida, ac post necem carnes sale & coriandris aceto præparatis, conditas, dies septem seruare prius quàm edas. Ceruūq; similiter, si stomachus fuerit ualidissimus. Probabile nanque est longæua quæ

dam

dam animalia ad uitam conferre longæuam, si tamen huiusmodi carnes iuuenes comedantur. Similiter aliæ carnes uicißim sunto, tum assæ, tum elixæ. Cibus esto duplus ad potum. Panis duplus & sesquialter ad oua, triplus ad carnes, quadruplus ad pisces, herbas, fructus humidiores. Ne incipiat à potu mensa, neque potus sit semel uberior. Semper stypticum aliquid absque potu uel modico, sequatur mensam. Vbi complexio, ætas, locus, tempus, ad calidum siccúm ue labitur, tu quoq; paulisper ad opposita declinato. Vbi ad frigidum aut humidum, similiter ad opposita uergito. Vbi temperies, seruato temperiem. Eatenus aũt exercitationi quidẽ corporis est addendũ, & animi detrahendũ, quatenus epulis uescimur durioribus ad diuturnitatem uitæ aliquando fortsitan necessarijs. Mensæ tibi sint in nouem diei horis, duæ, & utrobiq; parcæ. Parcior uero cœna. Exercitationes corporis duæ fermè post digestionem primã ad sudorem quasi productæ. Somnus quidẽ nocturnus, quia semper est necessarius, semper bonus: diurnus aũt nisi admodum necessarius, nunquam bonus.

Nõ esse utendũ alimentis quæ cito putrescant: Vinũ et triticũ præ cæteris eligẽda, putre factio & resolutio fugiẽda. Cap. VII.

ANimalia uero quæcunq; in nostram custodiam ueniunt, mundis electisq; alimẽtis nutri-

enda sunt antequã ueſcamur. Atq; hæc & alia omnia ex paſcuis altioribus & odoriferis eligenda ſunt. Inter hæc regulam ante omnes ab Arnoldo philoſopho comprobatam, memori ſemper mente teneto. Animantes, herbas, poma, fruges, uina ex altis odoriferisq;, ut diximus, regionibus eligere oportere, quas uenti temperati ſerenãt, ſuaues Solis radij foueẽt: ubi aquæ nullæ ſtagnant: culta ſterquilinio non pinguescunt, ſed humore natiuo, ubi etiam quæcunque naſcuntur, diu permanent incorrupta. Hic duntaxat habitandum eſt, hic quoque naſcentibus ueſcendum. Neque confidendum eſt, ex alimentis quæ breui putreſcunt, humorem nos comparaturos diuturnum, & à putrefactione remotum. Neque ſperandum facile nos diu uicturos, ubi terræ fructus incorrupti diu nõ conſeruantur: ubi raro admodũ homines ſunt longæui. Quantum uero ſit in loco uictuq; diſcrimen, pomum declarat Perſicum: in Perſia quidẽ uenenum, in Aegypto, cordis amicum. Et helleborus in Anticyra impune ſumptus, alibi uero uenenum. Ariſtoteles habitationẽ eligit altam ad meridiem orientemq; ſpectantem, ſub aëre ſubtili, nec humido, nec frigido. Et Plato longæuos in editiſſimis atq; temperatis reperit regionibus. Deterrimũ uero eſt ſtercorare agros, uel aquas ſtagnãtes ex agris minime deriuare. Omnia enim illic citæ corruptioni ſubiecta naſcuntur. Quã-

Altricis terræ facultas

obrem

obrem eos non uituperare non possum, qui sapientem Hesiodum idcirco uituperant, quod in re rustica stercilinium prætermiserit. Sed ille prudens salubritati potius quàm fertilitati consuluit. Satis autem ex lupinorum, fabarumq; foliis tempestiue subuersis, agrum pinguefieri posse putauit. At uero si regiones humidiores immundasq; colere, & alimenta minime duratura sumere cõpellamur, eum quasi seruemus uictum, quem sub aëre pestilenti medici mandauerũt. Qua de re in libro Cõtra pestilentiam satis egimus. Summatim uero suauibus & quodãmodo calidis utemur odoribus. Aloë rite præparata sæpe, leuiterq; purgabimur. Rite uero præparatã dicimus, si lota fuerit aqua rosacea uel succo rosarum, aut si cum rosis recentibus contritisq; fuerit perfecte cõmixta. Deinde addatur ei myrobalanus atq; mastix, & forte rosa. Medicina hæc extra controuersiam mirabilis est ad conseruandam diu mentem sanã in corpore sano. Præterea corpus exercitabimus: opportuno utemur foco. Hoc puluere epulas condiemus, myrobalanorũ emblicarũ sit pars unciæ quarta, sandalorum uero dimidia, cinnamomi integra, octaua croci. Hoc itaque puluere rebusq; simul acribus imminentem ex putridis alimentis & locis corruptionẽ forsitan inhibere poterimus. Meminerimus autem, ubi multo plures putrefactione suffocationeq;, quàm resolutione pereunt, ibi putrefa

ctioni & suffocationi maxime resistendum. Vbi uero contrà, uicissim uti condimentis aromaticis, & quodã modo austeris, ut diximus, odoribusq; similibus quouis tempore putrefactionẽ prohibet: ungi oleo, frigoris iniuriam: uti lauacris ex aqua & oleo, resolutionẽ ex labore uel calidis temporibus imminentem. Similiter os aqua sæpe colluere, succũ glycyrrhizæ uel saccharum crystallinũ ore tenere: Aqua rosacea multa, paucoq; aceto rosaceo manus faciemq; perfundere, similibusq; odoribus uti. Septima quaq; hora alimentis modicis recreari: corpore simul & animo conquiescere, calore uitato. Plurimum uero interest, quale sit uinum, & triticum, quibus assidue uescimur. Hæc ergo sint talia, ut ultra annum & potius ad triennium integra perseuerẽt, si modò incorruptibilem ex ijs alimoniam sperare debemus. Vinum, siue album siue rubrũ sit, esto clarum, suaue, stypticum, odoriferũ, & quod indigeat aqua. Nisi forte uinum repereris, leue simul atque durabile, quod rarissimum esse solet. Quod uero ualidius est, philosophus Isaach uinum dicit esse uinosum coctum sole, uentisq; purgatum: quod aqua fontis puri temperari iubet, aliquandiu antea quàm bibamus, ut perfectius misceatur. Aquosum uero uinũ atque debile uel acerbũ, fugiendũ monet, utpote quod intra uenas & membra acidum citò fiat, aut aliter putrefiat. Vinum quidem aquosum putrefactioni subiectum,

Vini senũ qualitas & substantia.

ctum, si conseruata eius substantia coctum fuerit, hoc saltem erit utile, alioquin non laudatum, quod humorem corruptibilem non creabit: sed acumen eius aqua electa temperandum erit. Vinum uero quale probauimus, Isaach ex antiquorũ sententia theriacis magnis inquit esse persimile. Quod, ut diximus, temperatũ, habitudinem corporis frigidã calefacit, refrigerat calefactam, humefacit siccam, humidiorẽ uero desiccat, atque (ut Galenus ait) naturalem humorem recreat, calorem fouet, utrunq; contemperat. Miscere uero uinum eiusmodi magis necessarium est iuuenibus, minus senibus, frigidis uero senibus minime. Frigida namque duraq; senectus (ut inquit Plato) ita mero feruet atq; mollitur, sicut uel igne ferrũ, uel aqua lupini. Quod diximus per unũ opposita fieri, atq; dissidentia temperari, scito etiã per glycyrrhizã fieri, sed debilius: Fieri etiam per oleum rosaceum, sed extrinsecus. Hæc ergo tibi familiaria sunto. Neque diffidas quicquid et qualitate temperatum est, & uirtute potens, posse reliqua temperare, sicut frigus alia frigefacere, id in primis habere temperamento Iouis, quo etiam saluberrima sunt. Sed de his alibi disputandum.

Diæta, Victus & Medicina senum. Cap. VIII.

QVi septimum iam septennarium impleuerunt, quinquagesimum attingentes annũ, cogitent

Venerem quidem significare iuuenes, Saturnum uero senes: atque has apud Astronomos stellas inter se maxime omnium inimicas existere. Rem ergo ueneream Saturnij fugiant, quæ iuuenibus etiam uitæ plurimũ detrahit. Nõ enim natis cõsulit, sed nascituris, ipsasq; etiam herbas statim producto semine siccat. Præterea frigus aëremq; nocturnum lethiferum sibi putent, atque eum omnino uictum seruent, ex quo sanguinẽ plurimum sperent, spiritumq; quamplurimum, ex uitellis uidelicet ouorum recentibus, uino aliquantum quidem dulci, odorifero uero quamplurimũ. Nam hic uitellus proprie cordis sanguinem, uinum præcipue spiritum recreat. Carnibus electißimis coctuq; facillimis omni summatim utantur diæta, calidum pariter & humidum augente. Spiritum odoribus præsertim uini assidue recreent. Vigiliam & inediam sitimq; deuitent: laborem rursus corporis atq; animi, & solitudinem & mœrorem. Musicã repetant si forte intermiserint, nunquam intermittendam. Ludos quosdam & mores quoad decet olim anteactæ pueritiæ reuocent. Difficillimum nanque est (ut ita dixerim) reiuuenescere corpore, nisi ingenio prius repueraſcas. Itaq; in omni etiam ætate magnopere conducit ad uitam nonnihil pueritiæ retinere, & oblectamẽta uaria semper aucupari. Longũ uero profusumq; risum minime: spiritum nanq; nimis ad exteriora dilatat. Sed redeamus

ad senes.

ad senes. Hi præterea si frigeant, fomenta petant aromatica et calida, simulatq; humida. Meminerint puerile non esse, puerile illud Auicennæ fomentum, factũ quidem à Dauide, sed tardius forte factum. Fomentũ seni mirificum: Medulla recentis adhuc calentis panis infuso maluatico uino cum puluere mentæ, apposita stomacho & sæpe ad olfactum adhibita. Nam & medulla eiusmodi etiam sola Democrito iamiam expiraturo retinuit spiritum quoad placuit fugitiuum. Præterea frictionibus utantur leuibus, seu quandoq; lauacris nutrimentum prouocantibus ad extrema. Nucleos ante omnia pineos uidelicet ablutos, familiares habeant. Hoc enim nutrimentum Medici ueteres senibus aptißimum probauerunt. Calidum enim & humidum est & pingue, & omnem lenit asperitatem, atq; simul, quod mirum est, dum naturalem humorem auget, interea superfluum deficcat, putridumq; expurgat humorem. Sunt qui nucleorũ eiusmodi drachmã unam quotidie post cibos exhibent senibus comedendam. Ego drachmam quoq; alteram ieiuno stomacho senibus exhiberem, uel recens, calens, auratum, pinucleatum. Componerem quoque electuariũ hoc pacto: Sume amygdalarũ dulciũ mundarũ uncias quatuor, tantundem eiusmodi nucleorũ, pistaciorũ duas, unam seminum cucumeris, unam nucum auellanarum mundarum, contunde, coque unà cum candidißimo saccha-

Diog. Laërtio autore.

ro, cui tamen addideris unam zinziberis recentis conditi drachmam, croci dimidiam, muſci tertiam, ambræ tantundem, ſaccharum, aqua meliſſæ id eſt citrariæ roſarumq; fundito, multa auri folia his adhibeto. Huius enim uſu quotidiano, uitã ſenes ualidiorem longioremq; conſequentur. Poſſunt & in menſa hoc accipere, et pluribus horis ante menſam. Vtilius autem tunc erit, ſi quid albi odoriq; uini unà cum Confectione eiuſmodi biberint. Temporibus uero calidioribus ſaccharum roſaceum unà cum auri foliis, & conditæ myrobalani uitam ſenibus prorogabunt. Theriacam nemo dubitat ad idem humidis conuenire perſonis atque temporibus. De cuius uſu ſatis in libro ſuperiore dictum. Nemo etiam negabit his prodeſſe admodum radices enulæ, beeniasq; radices, albas ſimiliter atque rubeas, maxime uero recentes. Illam quidem pro nutrimento, has etiam pro aromate, & omnia ſimpliciter calida, humidaq;, & aromatica ſimul et ſtyptica, ſimulq; pinguia. Certũ eſt ſenes electo glycyrrhizæ ſucco familiariter uti debere. Tradũt enim glycyrrhizam eſſe humani corporis calori pariter & humori perſimilem: præterea uarijs ſenum morbis opitulari. Lac quoque amygdalinum, & amidus cibus familiaris eſto, & ſaccharum atque paſſulæ. Raſis Triphera ex myrobalanis Indis, emblicis belliricis confecta. Item myrobalanos Indas conditas ſaccharo, nõ ſolum

De hac Plinius copioſe libro 22. cap. 9.

solum ad retinendam, sed etiam ad retardandam senectutem ualde probat. Auicenna laudat tripherā myrobalanorum maiorem atq; minorem. Rursus Confectionē de squama ferri, maxime uero auri. Iubet quotidie mandere myrobalanos præcipue chebulas rite cōditas, ad differenda senectutis incōmoda.

De naturis Aromatum & Cordialium necessarijs: Et rursum qualis sit uictus. Cap. IX.

SCito myrobalanis uarias inesse uirtutes. Vnam quæ mirabiliter superfluum exiccat humorem, unde caniciem prohibet. Secundam quæ humorem colligit naturalem, & à corruptione simul & inflammatione tuetur, unde uitam producit in longum. Tertiam quæ styptica aromaticaq; potentia, uirtutem & spiritum naturalem & animalē congregat & fouet, & roborat. Hinc aliquis uitæ lignum in paradiso myrobalanum forte fuisse putabit. Simile quiddam ferme faciunt aurum & argentum, corallus, spodiumq;, & precioſi lapilli, quamuis pro aromatica uirtute facultatem afferant illustrandi. Tu uero memento aromatica tunc maxime prodesse nobis ad uitam (ut supra significauimus) quando cum uigore quodam aromatico humida sunt pariter atque calida, lentoremq; pinguem habent, commodum augmento: quales sunt in primis radices beeniæ albæ, similiter atq; rubentes,

præsertim recentes. Aut saltem quando cũ uirtute quadam subtili, odorifera & acuta, substantiam densam habeant, & stypticam ualde proprietatẽ, qualis utique compositio inter cordialia frigida primum myrobalanis inesse uidetur & succino. Deinde rosis & succo, & semini citri. Tertio sandalis & coriandris, atq; myrto, cæterisq; similibus. Inter calida uero cordialia zedoariæ, ligno aloës, citri cortici, & chariophylis, nucimuscatæ, maci, olibano, mastici atq; doronico: qualem etiã saluiæ experimur inesse. Tradunt ambram & muscum stypticam habere uirtutem, Zinziber autem ob quandam eius humiditatem, præsertim recens & conditum, senibus sæpe prodest. Sed hoc & chariophylus propter caloris uehementiam, caute uidetur accipiendũ. Zedoaria quoq; caute, tametsi theriacæ similis iudicatur, & stypticam simul atque pinguem naturam habet, senibus cõmodissimam. Ambra propter calorem quasi temperatum tuto fermè sumitur, ac propter lentorem cum styptica subtilitate mixtum, prærogatiuam habet ad uitam in membris & spiritibus confirmandam: tum uero si ex ea fiat aqua cutisq; lauetur, digestionem quartã restituit, ac morbos eius defectu contingentes expellit. Aromatica uero quæ subtilem admodum substantiam habent, qualem cinnamomum atq; crocus, cordialibus frigidis & durioribus sunt miscenda. Nam aromatica si tantum

Cordialia aromata.

calida

calida ſubtiliaq; ſint & ſola ſumantur, naturalem calorem nimis excitant, humoremq; diſſoluũt. Neceſſaria tamẽ ſunt, tum frigidioribus & humidioribus epulis concoquendis, tum cordialibus duris ad præcordia transferendis. Te nanq; latere non debet, humorem ipſum uitæ neceſſarium primas in corde ſedes habere, & arterijs ueniſq; eiuſdem. Quod Iſaach perſpicue docet: atq;, ut Auicenna probat, hic humor naturali cæterorũ membrorum humore frequenter irrigatur atq; fouetur. Quapropter cauendum eſt, ne membri ullius humor caſu quopiam areſiat: multoq; magis, ne præcordiorum humor cõminuatur. Atq; ut nutrimenta, uel fomenta, & cordialia omnia per anguſtos meatus ad præcordia latiſſime perferãtur, his inſere crocum. Vt uero ſiſtantur ibi, myrobalanos adhibe. Vt autem conſequaris utrunq;, accipe inter calida muſcum atq; ambram: inter frigida roſas atque myrtum. Memento dulce marathrũ ſenibus profuturum. Nam & nutrimentum per membra diffundit, et qua facultate lac, eadem humorem auget naturalem. Vnde Dioſcorides marathro ſerpentes ait annuam exuere ſenectutem. Probamus & ſaluiam. Hæc enim naturæ uirtutem temperate calefacit et firmat, paralyſim propulſat. Probamus & moderatum conditi zingiberis uſum: habet enim cum calore pinguedinem.

De auro·

De auro & aureis alimentis, & refocillatione senum. Cap. X.

AVrum omnes ante omnia probant, tanquam omnium rerum temperatißimum, & à corruptione tutißimum. Soli quidem propter splendorem, Ioui autem propter temperaturã consecratũ: ideóque posse calorem naturalem cum humore mirifice temperare, humores à corruptione seruare, Solarem & Iouialem spiritibus & membris inferre uirtutem. Verum tamen oportet durißimam auri substantiam, subtiliorem facere, penetratúq; facillimã. Nouerunt enim cordialia tunc maxime latentem cordis recreare uirtutem, quando in eis attrahendis minime natura laborat. Vt autem minime fatigetur, uel subtilißima iam effecta, uel cum subtilißimis sunt exhibenda. Optimũ fore putant, si absq; alicna permixtione aurum potabile fiat: Sin minus posßit, contusum, & in folia redactum accipi uolunt. Aurũ fermè potabile habebis (ut dicam) Collige flores boraginis, bugloſſæ, meliſſæ, quam citrariam nominamus: et quando luna Leonem subit uel Arietem, uel Sagittarium, aſpicitq; Solem, aut Iouem, coque cum candido saccharo, aqua rosacea liquefacto, et pro qualibet uncia insere diligenter auri folia tria. Ieiunus cum uino quodam aureo sume. Item aquã ex capone destillantem foco uel aliter consumpto unà cum Iuleb sume rosacco, in quo auri folia

quædam

quædam ante contuderis. Præterea in nitidißimã fontis aquam aurum extingues ignitum, cum eadem auri contundito folia. Eadem uinum aureum temperato, et unà cum ciuſmodi potu comedito recentem oui uitellum. Facile uero in tota corporis arbore ſeruabis humorem, ſi in radicibus conſeruaueris. Accipe igitur gallinarum & pullorum eiuſmodi atq; caponũ cor, iecur, ſtomachum, teſticulos, atque cerebellum, coque aqua modica, minimo ſale: Cocta cõtunde ex tota carne & toto iure & ſaccharo, addito recentis oui uitello, fac placentam modico cinnamomo crocoq; conditam & auratam. Hac ueſcere eſuriens ſemel, ſaltem quarto quoque die, & tunc quidem ſola, claro tamen ad potum addito uino.

De uſu lactis ſanguinisq; humani pro uita ſenum. Cap. XI.

SAepe poſt decimum ſtatim & nonnunquam poſt nonum ſeptennariũ arbor humana arefacto paulatim humore tabeſcit. Tunc primum humano iuueni liq; liquore irriganda eſt hæc arbor humana, quo reuireſcat. Eliges ergo puellam ſanam, formoſam, hilarem, temperatã, & famelicus lac eius ſugito creſcente luna, ſtatimq; comedito marathri dulcis modicũ pluuerem ſaccharo rite confectum. Saccharũ quidem lac in uentre cogi uel putrefieri nõ permittet, marathrũ

uero quum & subtile sit & lactis amicũ, dilatabit ad membra. Quos Hectica senilis exedit, medici diligentes liquore humani sanguinis, qui arte sublimi destillauit ad ignem, reficere moliuntur. Quid ergo prohibet, quo minus senio iam quasi confectos interdũ hoc etiam potu reficiamus? Cõmunis quædam est & uetus opinio, aniculas quasdã sagas (quæ & striges uulgari nomine nuncupantur) infantiũ sugere sanguinẽ, quo pro uiribus iuuenescant. Cur non & nostri senes omni uidelicet auxilio destituti, sanguinem adolescentis sugant? uolẽtis inquam adolescentis, sani, læti, temperati, cui sanguis quidem sit optimus, sed fortè nimius. Sugant igitur more hirudinum ex brachij sinistri uena uix aperta, unciam unam aut duas. Mox uero sacchari uiniq; tantundem sument, idq; furientes & sitibundi facient crescente luna. Si crudus ægre cõ coquitur, coquatur prius unà cum saccharo, uel ad aquam calidam moderate destillet saccharo mixtus: deinde bibatur. Fouere quoque stomachum tunc sanguine suillo præsens auxilium est: quem utiq; sanguinem è uena suilla fluentem spongia calente uino made facta combibat, & stomacho statim calens admoueatur. Galenus atque Serapio morsum rabidi canis sanguinis canini potu curari dicunt. Rationem uero illis assignare nõ placuit. Ego igitur biduum eam quæritans, opinor deniq; saliuã canis rabidi uenenosam impressam

preſſam hominis pedi læſo, per uenas paulatim ad cor aſcendere, more ueneni, niſi quid interea diſtrahat. Si igitur interim canis alterius ſanguinem ille biberit, ſanguis ille crudus ad multas horas natat in ſto macho, eum deniq; uelut peregrinum deiecturo per aluum. Interea caninus ſanguis iſte ſaliuam caninam ſuperiora membra prenſantem prius quàm ad præcordia ueniat, deriuat ad ſtomachum. Nam & in canino ſanguine uirtus eſt ad ſaliuam canis attrahendã, & in ſaliua uiciſsim uirtus ad ſimilem ſanguinem proſequendum. Venenum igitur à corde ſemotum, ſanguiniq; imbibitum in aluo natanti, unà cum ſanguine per inferiora deducitur, hominemq; ita relinquit incolumem. Quorſum hæc? Primo quidem ut rei tam occultæ, ſuccurrentem inter diſſerendum cauſam aperuerim. Deinde ut moneam, ſanguinem potari poſſe, & quidem ſalubriter: atque in ſanguine humano uirtutem eſſe, qua humanum ſanguinem attrahat, & mutuo proſequatur. Ne forte diffidas iuuenilem ſanguinem à ſene bibitum trahi ad uenas membraq; poſſe, ibiq; prodeſſe quamplurimum.

De diæta, habitatione, & conſuetudine ſenum. Cap. XII.

MEminiſſe decrepitos expedit, naturam debilẽ nõ eſſe nutrimentorũ pondere fatigandã, uel

etiã epularũ diuersitate nimia distrahendã. Nam & iuuenilis ætas hoc uitio fit citò senilis. Diuidant ergo mensas, nec tam multa naturam alimonia quàm frequenti reficiant, interuallo tamen interim ad digestionem dato. Nam sæpe etiam postquàm stomachus ipse concoxerit, nisi & iecur quasi digesserit, sumere nutrimentum, naturã distrahit atq; fatigat: qua quidem lassitudine sæpius frequentata, aduolat intempestiua senectus. Senes hyeme uelut oues aprica petant: æstate uelut aues amœna riuosq; reuisant. Frequenter inter uirentes uersentur plantas, et suauiter redolentes: hæ nanque uiuentes, spirantesq; conspirant ad spiritũ hominis augendum. Ad loca uero cõmuniter apibus amica confugiãt, mellaq; hyeme degustent. Mel enim cibus est senibus in primis amicus, nisi ubi bilis timetur incendiũ. Amicus caseus recẽtissimus, amici dactyli, ficus, passulæ, cappares, dulcia punica, zizipha, hyssopus, scabiosa, betonica, sed pistacia multo magis. Pinei uero nuclei maxime omniũ, sicut diximus. Ex quibus plurimum referent adiumentum, si eos horas duodecim in aqua paulum calida teneant prius quàm edant. Sic enim stomacho nõ nocebunt. Ac præterea, si dum his utuntur, etiam inter pineta & oliueta uitesq; uersentur, aut saltem pini uaporem accipiant & odorem. Item gummi lachrymaq; pini cũ oleo uel uino corpus sæpe deliniant. Probabile enim est arbores

Et senũ uitũ in multas partiri oblationes Gale. suadet.

arbores longa naturaliter uita dotatas, præsertim si etiam hyeme uiresçant, ad longã tibi uitam umbra, uapore, nouo fructu, ligno & tempestiuo quolibet usu prodesse. De animalibus autem longæuis supra diximus. Iam uero ad idem tibi forte conducet, si uiuas plurimum penes eos qui sani, tibi sano natura sint similes & amici, ac magis forsan si paulò iuniores. Vtrum uero & quomodo frequens adolescentum consuetudo parumper senium retardare ualeat, puditus Socrates consulendus.

Quæ adminicula senes à Planetis acciapiant ad omnia membra fouenda. Cap. XIII

VErum consulite potius soliciti senes Apollinẽ, qui Socratem Græcorum sapientissimum iudicauit. Consulite Iouem insuper atq; Venerem. Phœbus ipse artis medicinæ repertor, nucemmuscatam uobis fouendo stomacho dabit: Iupiter cũ Phœbo mastichen atq; mentam: Venus uero corallum. Fouendo rursum capiti, Phœbus pæoniam, thus, amaracũ, & cum Saturno myrrham: Spicam nardi macemq; Iupiter: Venus deniq; dulce marathrum atque myrtum. Ad cor uero fouendum accipietis à Phœbo quidem citrariam, crocũ, lignum aloës, thus, ambram, muscum, doronicum, modicum chariophylorum, citri corticem, cinnamomũ: Ab Ioue liliũ, buglossam,

ozimum & mentam, beeniasq; radices, & candidas pariter & rubentes. A Venere sola quidem myrthum & sandalum atq; rosam: unà cum Saturno coriandrum. Hæc uos contundite diligenter: Et quæ stomachi sunt, cydoniorũ oleo in formam ceroti conficite: Quæ ucro capitis, oleo spicæ perfundite ac illinite ceruicem, tempora, frontem. Quæ deniq; cordis, aureo uino spargite aquaq; rosacea, caq; foris præcordijs admouete. At iccur in primis creãdo sanguini necessarium, nescio quomodo prætermisimus. Huic ergo semper Eupatorio & opobalsamo Phœbus opitulabitur: Pistaceis Iupiter atq; passulis: Venus autem, hepatica, endiuia, spodio, cicorea. Lienì tandẽ fouendo Saturnus ille uester unà cum Ioue caparim dabit uobis, Scolopendriam, tamariscum. Sicut ueficam Iupiter cum Venere, pina, glycyrrhiza, amido, cucumeris seminibus, malua, althæa, manna, casia, curat. Saturnum ucro ucrendum pluribus, ne adeò uos fugite senes. Hic enim quàm peregrinus est iuuenibus, tam uobis domesticus erit. Vt igitur totum ipse quoq; uobis corpus uegetet pro uiribus, atq; confirmet, accipietis nonnunquam ab eo regnante pariterq; à Phœbo mumiã simul, & anseris aßi pulpã: hæc anseris adipe modico delinite, cõtundite diligenter. Myrobalanorũ chebularum atq; Indarum melle concoquite, Ambra, musco, croco condite, credentes

Primis partibus amica simplicia.

medicinæ

medicinarum ad uitam conferentiũ uitam esse fidem. Qua speretis & deum supplicantibus uobis adspiraturum, & res ab eo creatas, præsertim cœlestes mirificam proculdubio ad augendam uel conseruandam uitam habere potentiam.

De confabulatione senum sub Venere per uirentia prata. Cap. XIIII.

SEd à grauioribus his numinibus ad Venerẽ paruper uos per hortos & prata senes uirẽtia reuoco. Ad almã Venerem uos omnes aduoco, nõ ludentẽ quidem uobiscũ, sed iocantem. Hæc & uobis inquam & mihi iam seni, primo quidem iocosum hoc fundit oraculum. Ego filij (si nescitis) uoluptate motuq; uobis uitam dedi. Ego igitur uoluptate quadam motuq; & si non simili, uobis seruabo uitam. Eandem quoque seruabit libertate Liber uitis sator, propagator uitæ. Liber ipse semper odit seruos, & quam uino promittit uitam, solis liberis implet longam. Meæ quidem uitæ simul atque menti quondam profuit regnante Saturno diminuta menta, placetq; quotidie. Vobis autẽ maior menta mente uitæq; prodest, diminuta nocet. Risum ex meis hortis legite, negligite ficum. Has uero uiolas quãdo carpitis, carpere uos existimate lilia, prehendentes lilium, comprehendere crocum. Crocum à Phœbo Iupiter ipse nactus propagauit in li-

lium. Lilium ego à Ioue susciptiẽs, in has quas hic uidetis, uiolas transformaui. Denique rosa quidem uobis esto Lucifer, Hesperus uero myrtus. Post oraculum nobis cogitandum, mandat rerum uiridium naturam quatenus uirent, non solam esse uiuam, sed etiam iuuenilem, humoreq; prorsus salubri, & uiuido quodã spiritu redundantem. Quapropter odore, uisu, usu, habitatione frequenti iuuenilem inde spiritum nobis influere. Inter uirentia uero deãbulantes interim causam perquiremus, ob quam color uiridis uisum præ cæteris foueat salubriterq; delectet. Inuenietmus tandem naturam uisus esse lucidam ac lucis amicam, uoluptatem tamen ac facile dissipabilem. Idcirco dum per lucem se dilatat uelut amicam, interdum nimio lucis excessu rapi prorsus, & uehementi dilatatione dissolui: tenebras autem naturaliter uelut inimicas fugere, ideoq; radios in angustiũ inde retrahere. Optat uero uisus ita perfrui lumine, ut per amicũ hoc suum amplificetur quidem, nec tamen interim dissipetur. Iam uero in quocunq; colore plus admodum tenebrarum siue nigredinis est quàm lucis, non dilatatur, nec ideo delectatur radius uisus ad uotum. Vbi uicissim plus admodum splendidi coloris est quàm nigri, spargitur latius, noxia quadam uoluptate distractus. Quamobrem color uiridis, maxime omnium, nigrũ cum candido temperans præstat utrũq;, delectans pariter atq; conser-

Cur uiridis color præter cæteros uisum afficiat uoluptate.

conseruans, & molli insuper & adhuc tenera qualitate: sicut & aqua radijs oculorũ absque offensione resistit, ne abeuntes longius disperdantur. Quæ enim dura sunt simul & aspera, frangunt quodammodo radios. Quæ uero rarissima sunt, dissolutioni aditũ patefaciunt. Sed quæ soliditatẽ aliquã habent, lenemq; simul æqualitatem, sicut specularia corpora, nec ipsa quidem frangunt, neque longius disperdi permittunt. Quæ deniq; præter hæc beneficia, tenera quoq; sunt & mollia, sicut aqua resq; uirides, liquidis oculorum radijs mollitia blandiuntur. Deniq; uisus radius quidam est in quadam oculorum aqua naturaliter nobis accensus: ac temperatum lumen in aqua quodammodo resistente requirit. Itaq; gaudet aqua, delectatur speculis similibus, uiridibus oblectatur. In quibus sanè uiridibus solis lumen insitum adhuc uernum secum habet humorem, aquamq; subtilem occulto quodam lumine plenam. Ex quo fit etiam, ut color uiridis quum tenuatur, in croceum resoluatur. Quorsum hæc? Vt intelligamus frequentem uiridium usum, siquidem uisus spiritum recreat, qui in animali spiritu quodammodo præcipuus est, animalem quoque reficere. Atq; etiam meminerimus, si color uiridis, quia inter colorum gradus medius atque temperatissimus est, tantum animali spiritui prodest, multo magis quæ per qualitates temperatissima sunt, naturalem & uitalem spiri-

tum iuuatura, atq; admodum profutura nobis ad uitam. Nihil in mundo temperatius est quàm cœlum, nihil sub cœlo fermè temperatius est quàm corpus humanũ, nihil in hoc corpore temperatius est quàm spiritus. Per res igitur temperatas uita permanẽs in spiritu recreatur. Spiritus per temperata cœlestibus conformatur. Deniq; discamus ex temperie uiridis, quæ illuminando æquæ congregat animalem spiritum atque dilatat, ideoq; maxime iuuat, nos quoq; in cordialibus eligendis, cõponendis, utendis, aromatica, subtilia & acuta, quæ spiritum extendere uel etiam illuminare solent, quod facit crocus atque cinnamomum, cum aromaticis semper stypticis congregãtibusq; ceu myrobalanis & similibus cõmiscere, atque uicißim. Neque prætermittere quæ absq; acumine etiam aromatico simul utrunq; conficiunt, aliquantum uidelicet dilatant, atque admodũ congregant, multumq; illuminant, quæ & aliâs narrauimus: quod efficit aurum, argentum, spodium, corallus, electrũ, sericum, preciosi lapilli, inter quos hyacinthus uel ore detentus ob Iouialem temperiem plurimum comprobatur. Quũ enim sub terra nequeant speciosißima & quasi cœlestia procreari absq; summo quodam beneficio cœli, probabile est rebus eiusmodi mirificas cœlitus inesse uirtutes. Compositio uero eiusmodi, quæ dilatando & illuminando spiritum æque congregat, ita delectat

lectat cum intrinsecus atque recreat, sicut foris uiriditas oculos, atq; ipsum etiam apud senes in naturali quadam uiriditate diutißime seruat, quasi laurũ, oliuam, pinum, etiã hyeme uirentem. Tantoq; magis id efficit, quo efficit & interius, atque maxime si compositio talis aromatico flagret odore, alliciatq; sapore. Profecto sicut corpus ex crassioribus humorum partibus compositum in quintam redigitur formam, ita spiritus ex subtilißimis eorundem portionibus constitutus formam habet quintam naturaliter temperatißimam atque lucidam, ideoq; cœlestem. Atque in hac ipsa forma conseruandus est, ut subtilis quidem sit, & interea firmus sicut diximus. Sit omnino lucidus, sed etiam quodammodo solidus. Ac præterea rebus odoriferis, firmis, lucidis, assidue foueatur, si uitam cupimus conseruare quæ uiget in spiritu, & uendicare nobis cœlestia dona. Hæc hactenus iussu Veneris cõtemplati, Venerem ipsam audiuisse putemus.

Prosopopœia Mercurij senibus consulentis circa uoluptatẽ, odores, cantus, & medicinas. Cap. XV.

INterea dum inter senes ipsa quasi Venus confabularetur, forte quidem hactenus satis belle, deinceps uero prolixius forsan fabulatura foret. Sermonẽ hunc his Mercurius uocibus, sermonum autor inter-

pellat. Quid nam uobis est cum Venere isthac semper puella senes? Quid rursum Veneri cum sermonibus? Nónne mei simulatq; uestri sunt sermones? Mea ratio pariter atq; uestra? Audite me igitur eadem nunc attentione, qua illam, & multo maiore insuper attentione quàm Venerẽ. Quinq; scitis esse sensus, Visum, auditum, olfactum, gustum, tactum. Esse rursum quinque (ut ita dixerim) discite rationes. Dum enim per quinque sensus quotidie imbuitur uobis animus, rationesq; inde rerum ipse concipit, interea notiones habitusq; ad res iudicandas quinque, tanquã rationes quinque resultant. Præterea sicut quinque hinc quidẽ sunt sensus, inde uero quodãmodo rationes, ita uitæ tenor quinque gradibus circa sensum rationẽq; disponitur. Vnde quinque numerantur ætates. Prima quidem sensu tantum trahitur. Secunda, sensu magis admodũ allicitur quàm ratione ducatur. Tertia post hæc alternis pariter rationis & sensus persuasionibus agitur. Quarta, ratiõe potius quàm sensu ducitur. Quinta tandem ratione tantum regi debet. Prima igitur ætas atque secunda tanquam subiecta Veneri, Venerem si placet loquentem audiat: reliquæ uero Mercurium. Ego igitur reliquos uos omnes alloquor, non pro me quidem tantum, sed pro Diana etiã hac, quã ad sinistram meam cernitis: nempe quũ hæc elinguis sit, ego uero bilinguis, iure pro hac ipsa, cuius ego linguam

Vitæ quinque gradus

guam habeo, loquor. Vnam profecto noxiãq; Venus uobis indidit uoluptatem, qua noceret quidem uobis, prodesset uero futuris, exhauriens paulatim uos per latentem quandã quasi fistulam, aliudq; uestris liquoribus implens atque procreans: uos tandem quasi uetustum quoddam spolium cicadarum iam exhaustum humi relinquens, Cicadæ interim teneriori prospiciens. Nónne uidetis quod Venus de materia uestra generat esse recens quiddam & uiuum, sensuq; prædictum? Surripit ergo uobis iuuentutem & uitam atq; sensum, ex toto, inquam, corpore per totius uoluptatem, ut efficiat inde totum. Ego interim materiæ illius quæ quartæ digestioni supercst qualitate monitus, uos cõmoneo, alimenta similiter quarta digestione cocta plurimum uitæ uestræ succurrere, Ouum recens uide licet integrum & sorbile unà cum saccharo exiguoq; croco: Lac humanum, uel suillum, uel caprinũ cum pauculo melle sumptum. Atq; hæc duo tunc salubriora sunt, quando natiuo adhuc calore flagrant: Etsi ouum aliam mox cocturam desiderare uidetur, præsertim in stomacho minus ualido, sed leuiter est coquẽdum. Verum ut parumper ad Venerem redeamus. Siquando uidistis Venerem, iuuenilem admodum uidistis, & quasi meretricijs fucis & ornatibus expolitam. Hæc ergo quæ noua semper est, noua semper affectat, odit uetera, facta destruit, unde cõstruat faciem

da. Hæc rursum (si dictu fas est) quasi meretrix non uno quouis est contenta uiro. Vulgus amat. Et ut dialectice loquar, speciei passim potius quàm individuo suffragatur. Iam uero neq; tactu tantum uos præcipitat, sed etiam gustu fallit quotidie perditq; deceptos. Quos enim uos in rebus sapores percipitis mediocri quadam temperie gratos, hos Diana hæc Apollinis Iouisq; munere tradidit. Illecebras uero saporum miras, quibus quotidie uelut hamo capti clam miseri uitam perditis, Venus insidiosa fabricat. Quid igitur Martem incusatis? Quid Saturnum? Mars quidem raro admodum uobis palamq; nocet. Saturnus quoq; sæpius uultu se profitetur hostem, nocet tardius, temposq; remedijs nulli negat. Sola Venus palàm ut amica uenit, clàm inimica uenit. Hanc igitur incusate potius, si quem inter superos incusare licet. Ad multiplices huius insidias, tum oculis Argi uosipsos instruite, tum Palladis clypeo uos munite. Aures autẽ ad blandas pollicitationes eius tanquam ad lethales Syrenum cantus obstruite. Hunc deniq; prouidentiæ florem à me accipite, quo Circes huius ueneficia deuitetis. Hæc uobis duas uix tandem & has quidem lethiferas pollicetur uoluptates potius quàm largitur: ego uero beneficio patris atque fratris quinque promitto uobis, quinque præsto, puras, perpetuas, salutares, quarum infima est in olfactu, superior in auditu, sublimior in aspectu,

aſpectu, eminentior in imaginatione, in ratione excelſior atque diuinior. Quo maior delectatio in tangendo percipitur atque guſtãdo, eo uitæ grauius frequenter accidit detrimentum. Contrà uero quanto maiorem in olfactu uoluptatem & auditu atque uiſu, item imaginatione & ſæpe ratiõe quotidie reportatis, tanto fila uitæ longiora producitis. Verum ſicut in blandimentis tangendi atque guſtandi cauendã uobis ſubdolam admonui Venerem, ſic in ipſa ſecretiore nimiſq; aßidua contemplatiuæ mentis delectatione cauete Saturnũ. Illic enim frequenter filios ipſe ſuos deuorat. Nam quos ſublimiorum contemplationũ ſuarum rapit illecebris, & illic agnoſcit ut ſuos, hos interim (ſi modo diutius gradum ibi ſiſtant) falce quadam è terris amputat, terrenamq; incautis uitam ſæpe ſurripit. Hoc ſaltem Venere interim indulgẽtior, quod Venus quidem uitam quam tibi detrahit, donat alteri, nihil tibi pro detrimento reſtituens. Saturnus autem pro uita terrena, à qua ſeparatus ipſe, te denique ſeparat, cœleſtem uitam reddit atq; ſempiternã. Hoc ipſo ſimiles eſſe uidentur inter ſe Venus atq; Saturnus, qui ſanè quàm Aquario gaudet, tam regnat in Libra, quod homines & hic & illa generandi libidine uexat nocetq; uexatis, ut inde poſteritati proſit. Sed hæc quidem fœcundat corpus ſtimulatq; fœcundum. Ille mentem ſuo ſemine grauidam urget ad partũ

Duæ citæ mortis artifices.

partum. Vos igitur Prouerbij memores, Ne quid nimis, assiduis prudentiæ frenis parturientis utriusque libidinem cohibete. Tametsi multo citius grauiusq; ille lædit, quos tædio, torpore, mœrore, curis, superstitione premit, quàm quos supra uires corporis moresq; mortalium eleuat ad excelsa. Omnino uero seruate moneo quod æquus Iupiter Pythagoram docuit & Platonem, humanam uitam in quadam æquali animæ ipsius cũ corpore proportione seruari, utrunque suis quibusdam alimentis & exercitationibus ali, ac similiter augeri. Si quis alterutrũ educatione præcipue sua multo robustius altero tandem efficit, non mediocrem facit uitæ iacturam. Propterea quicunq; inter res medicorum arte laudatas potissimum eas elegit, quæ corpori simul & ingenio prosunt, maximũ uitæ sibi uendicat adiumentum. In carum uero numero uinum, mentam, myrobalanum, muscũ, ambram, zinziber recens, thus, aloëm, hyacinthum, similesq; lapillos, herbás ue consimiles esse putate, & quæ ad utriusq; utilitatem à medicis pariter cõponuntur. Sed longioribus his quandoq; interceptis ambagibus, ego quoque medicus huc accessi. Si sapores ex rebus acceptis non ultra uiuentibus, item odores ex aromatibus iam siccis uitaq; uacuis, multũ ad uitam conferre censentur. Quid nam dubitatis odores ex plantis, radicibus adhuc suis hærentibus uiuentibusq; mirum in modum

Animæ simul & corporis medicinæ.

dum uitæ uires accumulaturos? Deniq; si uapores exhalantes ex uita duntaxat uegetali magnopere uitæ uestræ prosunt, quantum profuturos existimatis cantus, aërios quidem spiritui prorsus aërio, harmonicos harmonico, calentes adhuc uiuosq; uiuo, sensu præditos sensuali, ratione conceptos rationali? Hanc ergo uobis à me fabricatam trado lyram, cantumq; cũ ipsa Phœbeum, solamen laborum, diuturnæ uitæ pignus. Sicut enim res qualitate temperatissimæ simulq; aromaticæ, tum humores inter se, tum spiritũ naturalem secum ipso contemperãt: sic odores eiusmodi uitalem spiritum, sic rursum similes quoq; concentus spiritum animalem. Dum igitur fides in lyra sonosq;, dũ tonos temperatis in uoce, similiter spiritũ uestrum intus contemperari putate. Ac ne ipse Venere sim auarior, quæ sine Baccho friget, ab hocipso Libero patre per me nectar hoc accipite. Qui præcipue inter uos frigẽt, temporibus similibus bis septimo quoque die uncias uernacei, uel maluatici dulcis meri duas sumant cum una panis uncia, tribus ante mensam horis. Semel autem drachmam unam sublimis aquæ destillantis ex uino cũ Iuleb rosacei semuncia. Quo quidem liquore illinire etiam cutem, & ad olfactũ uti commodissime possunt. Atq; ut post eiusmodi nectar Ambrosiam quoq; uobis offeram, hanc insuper acceptam ab Ioue largior medicinam: Quatuor myrobalanorum uncias accipite

chebularum, tres rosacei sacchari, conditi zinzibe-
ris hyeme quidem unciam, æstate uero semunciam.
Tria hæc cum emblicarum melle concoquite suauiter,
septemq; auri fŏlijs exornate. Ieiuni bolum ante pran
diũ quatuor horis accipite. Anno saltem integro quo
tidie id assumite, ut inde uelut Aquilæ renouetur ue-
stra iuuentus. Hactenus quasi Mercurium loquutum
existimemus.

*Confirmatio superiorum. Et uitandi coi-
tus assiduæq; cogitationis præcepta.*

Cap. XVI.

Astrologi Venerem & Saturnum inimicos in-
uicem esse ferũt. Quũ uero in cœlo ubi omnia
amore mouentur, ubi defectus est nullus, odium esse
nequeat, inimicos, id est effectu diuersos interpreta-
mur. Mittamus in præsentia reliqua. Ecce nunc Satur
nus quidem nobis in centro, Venus autem in circumfe-
rentia posuit uoluptatẽ. Voluptas uero spirituum esca
quædam est. Igitur ex oppositio Venus atq; Saturnus
spiritus nostri uolatum aucupantur. Illa per uolupta-
tem suam allicit ad externa, hic interim per suam ad
intima reuocat. Distrahũt itaq; spiritum, si fermè eo-
dem tempore moueant atque dissipant. Quamobrem
nihil contemplatori uel curioso pestilentius, quàm ue-
nereus actus, nihil uicijs im hũc sectanti alienius quàm
cura & cõtemplatio esse potest. Contemplatorẽ uero
physicum

physicum, religiosumq; eodem in gradu connumeramus. Et gradu simili quemlibet in negocijs suis ualde cogitabundum grauibusq; curis obnoxium. Hinc rursus efficitur, ut si quem Saturnia uel contemplatione nimium occupatum uel cura pressum, leuare interim & aliter cõsolari uelimus, per uenereos actus, ludos, iocos, id tentantes tanquam per remedia longe distantia, frustra atque etiam cum iactura conemur. Atque uicißim si quem uenereo uel opere perditum, uel ludo iocoq; solutũ moderari uelimus, per Saturniam seueritatem emendare non facile ualeamus. Optima uero disciplina est, per quædam Phœbi Iouisq;, qui inter Saturnum Veneremq; sunt medij, studia similiaq; remedia homines ad alterutrum declinantes, ad medium reuocare. Sed ut tandem simus medici. Sicut flamma duobus cõmuniter modis uiolẽtis extinguitur, aut uelut difflata uentis, aut contrà quasi compressa cineribus, Sic spiritum uel celeriter effectu uenereo dißipamus, uel sensim Saturnio suffocamus, ac sæpe exprimimus comprimendo, pariterq; resoluimus. Spiritus utiq; frequenter ad extima uolans, intima reddit uel uacua uel aliena uitæ. Sed ad intima sæpe coactus cætera circum membra præstat uitæ minus idonea. Ci tam igitur senectutem, tũ Venus interioribus nostris, tum Saturnus exterioribus infert. Venus quidem præcipue, ubi ex quouis eius motu facile corpus debilis

tatur atque labascit. Saturnus quoque potissimum, quando ex quocunq; contemplationis officio uel cura, labore, ingenij, corporisq; uires labefactantur. Etsi uel qui ad contemplationem, uel qui ad libidinem natus est, plerunq; ad suum utrq; officium est natura fortissimus. Natura enim sæpe coniungit cum uoluptate simul & facilitate potentiam. Vnusquisq; igitur se cognoscat, suiq; ipsius moderator ac medicus esto. Coitum quidē frequentaturi cæteros consulant. Ego uero exercitaturis ingeniū Libro etiā superiore consului. deniq; omni diæta omnibus remedijs uti debēt, quibus membra, spiritus, sensus, ingeniū, memoria cōfirmentur: cogitationes per interualla repetere, nec expectare uel minimum ex cogitatione laborem: maxime uero quum primum canescunt, quamuis nōnulli sint qui nō tam debilitatæ naturæ, uidelicet adhuc iuuenes canos emittunt, quàm uel ægritudine, uel ægrotatione aliqua præcedente, aut etiam parentum similitudine, à quibus scilicet iam canescentibus fuerint generati.

Medicinæ senum, & de habitatione iterū atq; diæta. Cap. XVII.

CHaldæorum regula est forte probanda ad iuuentutem recuperandam, peregrinos humores imbibitos corpori expurgare gradatim, tum interiores competentibus medicinis, tum exteriores frictionibus

ctionibus & lauacris prouocationibusq; sudoris, interea q; salubribus duraturisq; alimentis paulatim corpus implere. Sunt autem qui trochiscis quibusdam exuipera factis uel helleboro præparato, promittunt humores omnes ueteres putridosq; prorsus educere. Quibus expurgatis, & humore rursum saluberrimo alimentis salutaribus recreato, restituere iuuentutem. Et qui cautiores sunt, helleboro gallinas pascunt, hominem uero gallinis. Eiusmodi uero curationem tanquam periculosam in iuuentute arbitror potius quàm in senectute tentandam, ne forte iuuentutẽ illam à Medea Peliæ seni promissam experiamur. Nam & iuuenes medicinis exquisite purgãtibus citò senescere Hippocrates asserit. Sed ubi diæta non sufficit, clysterẽ uel manna, uel aloẽ præsertim lota securus utêris. Si tibi sit aluus astrictior, manna cum iure caponis myrobalaniq; uirtute: Sin minus, hac te iuuenem etiam in senectute purgatione seruabis: Sume unciã lotæ aloës unam, myrobalanorum emblicarum drachmas duas, chebularum quoque tantundem, duas item rosarum purpurearum, masticis quoque tantundem, malua tico uino confice pilulas, quando Luna feliciter collocata, propitio fruitur Iouis aspectu, præsertim si domicilia fixa possederit uel ipsa, uel Iupiter. Hæc enim ad diuturnitatem uitæ magnopere conferunt. Potes etiam utiliter Reubarbarum hic cum aloẽ compone-

re scilicet dimidiam aloës partem, dimidiam Reu barbari, & quoties opus fuerit, unam mane sumere pilulam ad tres usque uel quinque, modicumq; insuper uinum bibere. Vbi uero pituitam magis times, potes commode in his pilulis trochiscorum Agarici tertiam partem accipere unà cum tertijs aloës duabus, omisso reubarbaro. Sed primam illam ego iam multis annis pilularum compositionem omni ætati experior esse tutissimam. Eadem hora confectionem eiusmodi facito: Sume myrobalanorum emblicarum, belliricarũ, Indarum, chebularũ, unciam uniuscuiusq; unam, cinnamomi uero duas, unam quoque doronici, rosarum purpurearum unam, sandalorum rubeorum duas, unam croci drachmam, tertiam drachmæ partem mu sci, ambræ tantundem. Candidũ post hæc cum aquæ rosacea succoq; citri fundito saccharum: coque, fac bolos, auroq; inuolue. Hoc ante prandium quatuor horis sumentes atque dantes, utiliter experti sumus ad uirtutem corroborandam, ad illustrandum spiritum atque firmandum. Maxime uero proderit si paulum quid insuper uini aurei biberis. Proderit & sæpe calefactum panem aureo mero & rosacea aqua perfundere, & modico insuper cinnamomo saccharoq; uberiore condire. Frequenter etiam duo hæc cum lacte amygdalino & modico pane miscere. Nam eiusmodi mixtiones naturã referunt Iouialem. Præter omnia

quæ

quæ in superioribus explicauimus, uel saltem significa uimus, ab ijs omnes urbani diligenter cauere debent, æstu, gelu, quolibet uel post calorẽ frigore uel noctur no, nebulis, uentis uel ex palude flantibus, uel irrum pentibus ex angusto: locis item ubi aër uel moue tur uiolentius, uel nullo modo mouetur: Habitatione quauis humidiore, fœtore, mœrore, torpore. Dili gentius autem Mercurij sectatores, diligentißime se nes. Qui præterea postquàm mane corpus totum le uiter perfricuerint, delinient ipsum aduersum aëris & laboris incommoda calente oleo uel uino quopiam subamaro, cui prius infuderint myrrham & rosam atque myrtum. Saluiam frequenter ore ferant, ner uis ac dentibus amicißimam. Et quando dentium ui tio liquida, uelut infantes, alimẽta repetere cogantur, mollißima caueant. Lac quidem uino referant mode rato. Vtantur igne duntaxat ut medicina, quantum uidelicet expellendi frigoris & suscitandi caloris in nati necessitas postulat, alioquin tanquam edace hu morem naturalem exiccaturo. Solem uero quoad de lectat sequantur ut alimentum, destillatione uitata, et æstu similiter declinato. Faciles quidem motus dili gant, excitando calori admodum necessarios. Labo res autem corporis oderint, & multo magis animi: nec minus longam sitim, & inediam atq; uigiliam.

De nutrimento spiritus & conseruatione uitæ per odores. Cap. XVIII.

Vt Astomos in oriente circa fontẽ Gangis.

LEgimus in calidis quibusdam regionibus, ac plurimo passim odore fragrãtibus, multos gracili corpore & imbecillo stomacho, quasi solis odoribus ali. Fortè quoniam ipsa natura loci, tum herbarum & frugum atq; pomorum succos fermè totos redigit in odores, tum corporum humanorum humores illic resoluit in spiritum. Quum igitur uterque, uidelicet odor & spiritus sit uapor quidam, & simile simili nutriatur, nimirum & spiritus & spiritalis homo, plurimum ab odoribus accipit alimentũ. Nutrimentum uero qualecunq; id sit, per odores siue fomentum, apprime senibus & gracilibus necessarium est, quo defectum alimenti solidioris atque uerioris utcunque compensare possimus. Ambigere tamen nonnulli solent, utrũ spiritus odoribus nutriatur. Ego autẽ opinor solis forsan ita nutriri, ut nisi alimẽta quæ crassa sunt, digestione tandem in uapores extenuentur, spiritus ipse, quem diximus uaporem esse, nullũ illinc suscipiat nutrimentum. Itaque uinum odore plenum, spiritum subito recreat, quem cætera uix tandem recipere possunt. Vaporem uero illum in quem cibi cocti denique transferuntur, ideo appellamus odorem, quoniam & odor ubiq; uapor quidam est: & hic tractus intus ex alimentis uapor, nisi spiritui quodã odore pla-

re placeat, uix ullũ ſpiritui exhibet alimentũ. Quam obrem Auicennam noſtrum ualde probamus dicentem, corpus quidem dulcedine, ſpiritum uero quadam (ut eius uerbis utar) aromaticitate nutriri. Quoniam craſſitudo corporis non niſi craſſa natura, qualis eſt in dulcedine, coaleſcere ualeat. Tenuitas uero ſpiritus nõ alio quàm fumo quodã atq; uapore, in quo aromaticitas ipſa uiget, refici poßit. Aromaticam uero qualitatem dicimus odoram, & acutam, & quodammodo ſtypticam. Proinde quoniam iecur quidem corpori per ſanguinem alimentum præſtat, dulcedine plurimum augetur. Cor autem quia & creat ſpiritum & ſpiritui procreat alimentum, meritò deſiderat aromatica. Expedit tamen & aromatica pro corde condiri dulcedine, & dulcia pro iecore aromaticis commiſceri, dulcedinemq; interea nimiam euitare. Quid plura? Galenus ipſe ſecutus Hippocratem, ſpiritum non ſolum odore putat nutriri, ſed aëre. Aëre inquam nõ ſimplici, ſed potius opportune permixto. Quibus quidem ſi fidem habebimus, nec alimentorum, nec rei ullius delectum magis ad uitam neceſſariũ, quàm aëris nobis accommodati, eſſe cenſebimus. Aër enim & inferiorum & cœleſtiũ qualitatibus facillime ſemperq; affectus, & immenſa (ut ita dixerim) amplitudine circumfuſus, perpetuoq; motu nos undiq; penetrans, ad ſuam nos mirabiliter redigit qualitatem. Præſertim

πρὸς ἀέρων ὑδάτων τόπων.

ſpiritum, præcipue uitalem in corde uigentem: In cuius penetralia, tum aſſiduè influit, tũ repente. Sic protinus afficiens ſpiritum ut eſt affectus: perq; ſpiritum uitalem, qui & materia & origo eſt ſpiritus animalis, pariter afficiens animalem. Cuius quidem qualitas maximi momẽti eſt ingenioſis eiuſmodi ſpiritu plurimum laborantibus. Itaq; ad nullos potius quàm ad eos attinet puri luminoſiq; aëris odorumq; delectus, atq; Muſicæ. Hæc enim tria ſpiritus animalis fomenta præcipua iudicantur. Potiſſimus uero ad uitam eſt aër electus. Nam octauo menſe nati in Aegypto plurimi uiuunt: Et nonnulli in plagis Græcie temperatis ſaluberrimi, aëris beneficio quod Ariſtoteles narrat, & Auicenna confirmat. Sed profecto ſicut corpus ex uarijs compoſitũ, uarijs (quamuis non eadem menſa) nutriendum eſt alimentis, ita ſpiritus ſimiliter compoſitus uarietate quadam aëris ſemper electi oblectandus eſt atq; fouendus. Simili quoq; electorum odorum uarietate quotidie recreandus. Nam aër & odor quaſi ſpiritus quidam eſſe uidentur. Iam uero Alexander & Nicolaus Peripatetici unà cum Galeno concludũt ſpiritum uitalem & animalem ideo nutriri tum odore, tum aëre, quoniam uterq; mixtus eſt atq; conformis, & utrunq; hauſtum in præcordia penetrare, ibi coqui temperariq; ad uitam, perq; arterias diffundi. Vbi uterq; coctus iterum, nutrit ſpiritum (ut aiunt)

Aërls temperies.

utrunq;

utrunq; præcipue animalem. Aiunt etiam spiratum aërem nõ solũ refrigerando calori prodesse, sed etiam nutriendo. Nam & animalia etiam ualde frigida spirant. Addunt aërem crassiorem spiritui naturali tam quam magis corporeo conuenire, subtilem uero, purum, lucidum, spiritui potius uitali, potissimum animali. Neq; mirum uideri debet spiritum adeò tenuem rebus quoq; tenuibus ali. Siquidem & pisciculi multi aqua nitidissima nutriuntur, & ozinum in aqua simili uiuit, crescit, floret, redolet. Mitto quibus elementis Chamæleontem & Salamandram nutriri nõnulli ferant. Redeamus ad nostra. Interest certe quamplurimum qualem spiremus aërem, quales hauriamus odores. Talis enim & spiritus in nobis euadit. Eatenus uero nos anima per uitã uegetat, quatenus spiritus harmoniam seruat cum anima concinentẽ. Spiritus quidem in nobis primus uiuit & maxime, & quasi uiuit solus. Nõne repentino quodam sæpe casu, uel affectu, uita, sensus, motus, subito membra deserunt, regresso uidelicet ad cordis penetralia spiritu? Et sæpe statim reuertuntur ad membra, per frictiones & odores illuc spiritu redeunte, quasi uita in ipso spiritu uidelicet re uolatili potius insit quàm humoribus aut membris. Alioquin propter horũ crassam tenacitatem tardius admodũ accederet uita membris atq; recederet. Quicunq; igitur uitam in corpore producere cupitis,

ſpiritum in primis excolite, hunc augete nutrimentis ſanguinem augentibus, temperatum uidelicet atq; clarum. Hunc aëre ſemper electo fouete. Hunc quotidie ſuauibus odoribus alite. Hunc ſonis & cantibus oblectate. Sed interea odores caute calidiores. Frigidiores fugite. Capeßite tẽperatos. Frigidos calidis, ſiccos humidis temperate. Odorẽ uero omnẽ, quia pars corporis ſubtiliſsima eſt, ſcitote nonnihil habere caloris, atq; ex rebus quæ ipſæ nutriunt, odores ſperate potius nutrituros, ut ex aromatico pyro pomoq; Perſico, ſimiliq; pomo: magis autem recente pane, calente, maxime carnibus aßis, quammaxime uino. Atque ſicut ſapor qui mirifice placet, plurimi uelocisq; nutrimenti cauſa eſt uel occaſio corpori, ſic odorem ad ſpiritum ſe habere putate. Commemorare uobis iterũ placet, Democritum iamiam expiraturũ, ut obſequeretur amicis, ſpiritum ad quatriduum uſq; olfactu calentium panum retinuiſſe, ulterius etiam, ſi modo placuiſſet, ſpiritum ſeruaturũ. Sunt & qui dicunt id mellis odore feciſſe. Ego ſi modo uſus eſt melle, exiſtimo illum mel uino liquefactum albo, calentibus panibus infudiſſe. Neque enim ſpernendus eſt mellis odor. Flos nanq; florum mel exiſtit, nec parum nutrit ipſa dulcedine, ac diu qualitate ſua res integras à putrefactione tuetur. Itaq; ſi quis nouerit hoc etiam ad cibum ita ueſci, ut nec dulcedine nimia meatus oppleat, nec tali quodam

θάνατον πρεσβύτα ξὶ ἥμαια ὀώμασιν ἔχειν ἡδὴ θερμοῖς ἄρτον ἄδμασιν ἐξέ ψισεν.

quodam calore bilem exaugeat, certum habebit longioris uitæ subsidium. Saltem igitur condimentū hoc frigidis & humidis adhibete. Verum ut uos reuocem ad odores. Vbicunq; suffocationē, compressionemq; spirituum nimiam extimescitis, quod mœror frequēs torporq; portendit, odores circunfusos amate. Vbi uero fugam exhalantium spirituū expauescitis, odores potius infusos nutrimentis accipite. Et si quid odorum præterea foris sumitis, uelut clypeum cōstis duntaxat admouete sinistris. Nónne uidetis quàm repente sursum uel deorsum ad odores se matrix ipsa præcipitet? quàm uelociter ad os, ad nares spiritus aduolet, suauis odoris esca pellectus? Vbi igitur spiritus uel exiguus uel fugacissimus esse deprehenditur, quod pusillanimitas sæpe declarat corporisq; debilitas, uel parua de causa multa contingens, odoribus non tam extrinsecus obiectis, quàm intrinsecus iniectis allicite, immo potius pascite, retinete. Odorem uero uini ante omnes eligite. Multum nanq; nutrit spiritum odor exhalans ex natura, tum plurimum & uelociter nutriente corpus, tum uoluptate sensum afficiente. Tale uero uinū est præ cæteris calidum, humidū, & odorum atq; clarum. Tale etiam saccharum esse dicerem, si sumat odorem. Cinnamomū quoq; simile et doronicū, anisumq; & dulce marathrum, si acumini suo ad exiguā dulcedinē adderēt ampliorem. Sed quam temperiē natura

nō fecit, uobis ipsi conficite. Et quoties distractionē spirituū formidatis, calidioribus acutioribusq; et subtilissimis adhibete, quæ cohibere parumper uolatū spiritus ac sistere ualeant, ceu croco, chariophylis, cinnamomo adustū panem, rosaceā aquam, acetumq; rosaceū, rosam, myrtū, uiolam, sandalum, coriandrum, cydoniū pomum atq; citrum. Horreo uero camphorā ubi contra canicie est agendū. Recentem uero semper mentā diligo, menti etiam salutarem spirituiq; tutissimam. Deniq; mementote res omnes ueneno contrarias, esse uitæ admodum salutares, non gustu tantum sed etiam odoratu, maxime theriacam. Has uero in libro contra Pestilentiam enarrauimus, narrabimus & in libro sequenti. Inter eas autem, ne quid uos lateat, numeramus & uinum. Nam sicut homini uenenum est cicuta, ita cicutæ uinum, non simul quidem, sed paulò post ebibitum. Ac ne solis uos odoribus hic alliciam, componendum uobis mando electuariū quotidie mane gustandum, olfactu gustuq; suaue, & uitæ admodum salutare. Accipite tres chebularū uncias, unam emblicarum, & Indarum unam, unamq; belliricarum, semiuncia uero doronici, cinnamomi uncias duas, croci drachmam unam, ambræ partem drachmæ tertiam, muſci quoq; tantundem. Contundite diligenter. Tantum rosacei sacchari adhibete quantum gustui satis facit: Sandalorum rubentium quantum sat est colori: mellis item

lis item emblicarũ uel chebularũ quantum molli expe dit electuarij formæ, auri folia totidẽ quot prædictæ sunt unciæ. Vbi uero difficilior est compositio multiplex, experti sumus simplicem hanc optimam esse, scilicet ex chebulis, marathro dulci, saccharo aqua rosacea liquefacto: sumptam uero tum ieiuno stomacho, tum post cœnam. Memineritis autem myrobalanos cõditas meliores esse, siccas uero saltem diem integrũ oleo amygdalarũ dulciũ uel butyro uaccino prius infundite quàm consletis. Probat & Auicenna uobis cõfectionem ex emblicis atq; Indis cũ melle anacardorũ coctoq; butyro. Item chebulas cũ zinzibere & squama ferri, & potius auri. Probat item Petrus Aponensis compositionẽ ex croco, mace, castoreo, per partes acceptis atq; contusis & uino commixtis. Vnde affirmat uitam etiã propemodũ moribundis produci consueuisse. Deniq; Haly Astrologus Medicusq; excellẽs asserit usu tripheræ similiumq; rerũ uitam effici longiorem. In omni uero triphera myrobalanus fundamentũ est, sed hanc temperant subtilibus quibusdam atq; mollibus, præsertim ubi siccior est myrobalanus, ut & penetret, nec meatus obstruat, nec aluũ exiccet nimiũ uel adstringat. Cum uino præterea commodissime utimur, sed modico, ne forte diluat. Cõpositionem uero Petri quam modo narrabam, si modo utilis est, arbitror olfactu potius quàm potu utilem fore.

Magorum medicina pro senibus.

Cap. XIX.

MAgi stellarũ obseruatores, ad Christum uitæ ducem stella duce uenerunt, preciosum uitæ thesaurũ offerentes, Aurũ, thus & myrrham, tria dona pro tribus Planetarũ dominis stellarũ domino dedicantes. Aurũ quidem pro tẽperamento Iouis, maxime omniũ temperatũ. Thus autem pro Sole præcipue phœbeo calore simul odoreq; flagrãs. Myrrham deniq; firmantẽ corpus atq; conseruantem pro Saturno omniũ firmißimo Planetarũ. Huc igitur omnes ad sapientes Magos uenite senes, munera uobis quoq; uitã productura ferentes, quibus autorẽ uitæ quondam uenerati traduntur. Venite senes, inquam, senectutẽ grauiter tolerantes. Venite & uos præterea, quoscunq; senectutis propemodũ aduentantis formido solicitat. Accipite precor alacres uitalia dona. Sumite uncias quidẽ thuris duas, unam uero myrrhæ, auri rursum in fólia ducti dimidiã drachmæ partem, contundite tria simul, conflate, confundite in pilulas, aureo quodam mero. Idq; tunc opportune cõficite, quando Diana propitio Phœbi uel Iouis gaudet aspectu. Sumite posthac thesauri tanti, aurora qualibet portiuncula, ac exiguo perfundite meri potu, nisi forsan incaluerit æstas. Tunc enim aquam roſaceam bibere præstat. Si quis autem inter uos calorem quouis tempore magis

magis metuat, is myrobalanum chebulam aut emblicam æqualem ad thuris myrrhæq; & auri simul pondus adijciat. Hoc humorẽ proculdubio naturalẽ à putrefactione tuebitur. Hoc humoris resolutionem longius propulsabit: hoc tres in uobis spiritus, naturalem, uitalem, animalem fouebit, confirmabit, corroborabit. Hoc rursum uegetabit sensum, acuet ingenium, memoriam conseruabit.

De periculis uitandis ex quolibet uitæ septenario imminentibus. Cap. XX.

QVum Astronomi singulas deinceps diei horas Planetis ordine singulis distribuerint: similiterq; septẽ hebdomadæ dies, atq; in ipso fœtu per menses digesserint officia Planetarum, cur non etiam per annos eadem disponamus? Vt quemadmodũ infantem in aluo latentem rexit primo mense Saturnus: ultimo Luna: sic statim natũ ordine iam cõuerso, primo ipsius anno ducat Luna: Secundo, si uis, Mercurius: Tertio Venus: Quarto Sol: Quinto Mars: Sexto Iupiter: Septimo uero Saturnus. Atq; deinceps ordo per uitam similis repetatur. Itaq; in septimo quolibet uitæ anno, fit in corpore mutatio maxima, ideoq; periculosissima, quandoquidem & Saturnus nobis cõmuniter est peregrinus: & ab eo tunc Planetarum summo, ad Lunã cuestigiò Planetarũ infimam gubernatio redit. Hos annos astronomi Græci Climactericos nomi-

nant, nos scalares, uel gradarios, uel decretorios appellamus. Fortè uero in morbis ipsum humoris uel naturæ motum Planetes per dies eodem ordine regunt.

Anni iudiciarij.

Vnde & septimus quisq; eadē ratione Iudiciarius appellatur. Quartus quoq; quoniā medium in septennario tenet. Tu igitur si uitam producere cupis ad senectutem, nullis ciusmodi gradibus interruptā, quoties septimo cuilibet propinquas anno, consule diligenter astrologū: Vnde immineat tibi discrimen edisce: Deinde uel adito medicum, uel prudentiam & temperantiā accersito. His nanq; remedijs prohiberi minas astrorū Ptolemæus etiam confitetur. Addit quinetiam astrorū promissa sic augeri posse, ut agrorum cultor auget terræ uirtutē. Probat Petrus Aponensis argumentationibus multis & testimonio Aristotelis, Galeni, Haly, naturalē uitæ finem nō esse ab initio ad unguem determinatū, sed ultra citraq; moueri posse: Idq; asserit tum ex astris, tum etiā ex materia. Concludit his autoribus rationibusq; obitū etiam naturalem differri posse, cum astrologiæ machinis tum præsidijs Medicorū. Igitur neq; nos temere in his præceptis elaboramus. Neq; te pigeat perquirere à medicis quæ naturaliter tua sit diæta, & ab astrologis quæ stella uitæ faueat. Et quando hæc bene se habet, & ad eam Luna, compone quæ prodesse didiceris. Neq; puedeat sæpe illos auscultare, qui non tam fortuna quàm uirtute

iùrtutè ſenectutem proſperã conſecuti uidentur. Præterea Ptolemæus & cæteri profeſſores Aſtronomiæ, imaginibus quibuſdam ex certis lapidibus & metallis ſub certo ſidere fabricatis, uitam proſperã pollicentur atq; longæuam. Verũ de imaginibus quidem ex parte, ac plurimũ de reliquo fauore cœleſti cõmentariũ componimus in Plotinum, quem librũ huic operi deinceps ſubijciendũ exiſtimamus. Quemadmodũ hoc poſt librũ ſcribi uolumus quem De curanda literatorũ ualetudine compoſuimus. Fauorem uero cœleſtem quem modo dicebam, pro iuuentute longa, nunc quantum quaſi Poëtæ cuidam licet loqui, quantũ rurſus medico licet facere, à Phœbo Bacchoq; petemus.

Solis æterna eſt Phœbo Bacchoq; iuuentus,

Nam decet intonſus crinis utrunq; deum.

Phœbus & Bacchus ſemp indiuidui fratres ſunt: Ambo ferè ſunt idem. Phœbus quidẽ eſt ipſa ſphæræ illius anima. Sphæra uero Bacchus, imò & Phœbus eſt totus ipſe ſphæræ circus. Bacchus autem eſt flammeus ille in hoc circo circulus, imò uero Phœbus eſt almum in hoc flammeo globo lumen. Bacchus autẽ exiſtit ibidem ſalutaris ex lumine calor. Semper ergo fratres comitesq; ſunt, ferè ſemper alter & idem. Quid uero? Si ſol in Vere quidẽ Phœbus eſt, cantu ſuo tunc auiũ cantus excitãs: Cithara rurſum tempora temperans. In autumno uero Sol idem autor uini Bacchus exiſtit.

Tria nobis ad seruandam iuuentutem pater ille Liber, qui amat colles, Bacchus affert. Hos quidē apricos primum colles. In his autem collibus suauissimum præcipue uinum: Perpetuam in uino securitatē. Triæ quoq; Phœbus Bacchi frater pari benignitate largitur. Diurnum primo lumen: Sub fomento luminis heras suauiter redolentes: Ad luminis huius umbram, citharam cantumq; perennem. His ergo pensis potissimum, his staminibus Clotho nobis iam nō Parca longa uitæ fila producet. Treis Parcas ferè omnes Poëtæ canunt. Tris quoq; nos nō poëtæ canimus. Prudens quidē in omni uictu parcitas uitā nobis longā inchoat. Constans quoq; in curis subeundis parcitas producit uitā. Parcitas uero in cœlo fruēdo negligēs uitā occat Tres Pythagoras temperātias ante omnia celebrat: tres etiā nos in præsentia celebramus. Temperantiam in affectibus cōseruato: temperantiā in omni uictu seruato. Temperiem aēris obseruato. Hac enim prouidentia humorum intemperiem, quæ citæ senectutis & intempestiuæ mortis causa est, aspirante Deo, procul admodū propulsabis. Aspirabit autem autor ille uitæ si ea tantū conditione uitam optaueris diuturnam, ut diutius cum genere humano uiuas, tum maxime uiuas illi, quo mundus totus inspirante uiuit.

DE VITA PRODVCENDA
LIBRI FINIS.

tini in librum tertiũ De uita cœlitus cõparanda, ad sereniſſimum Pannoniæ regem epiſtolare proœmium.



Philoſophi ueteres, rex omniũ feliciſſime, cœleſtiũ uires inferiorumq; naturas diligentiſſime perſcrutati: quũ exiſtimarẽt hominem fruſtra ſapere, qui nõ ſibi ſapit, totam meritò perſcrutationem ſuam in primis ad uitam ſibi cœlitus cõparandam retuliſſe uidentur, iudicantes (ut arbitror) tum elementa & quæ ex his componuntur fruſtra ſibi cognita fore, tum motus cœleſtium & influxus temere nimium obſeruatos, niſi hæc unà cum illis cognita ſimul atq; coniuncta, aliquando ſibi ad uitam felicitatemq; conducerẽt. Profuit autem illis ut uidetur, ciuſmodi cõtemplatio ad uitam primo præſentem. Nam Pythagoras & Democritus Apolloniuſq; Theanæus & quicunq; ad id potiſſimum ſtuduerunt, rerum ſibi cognitarũ uſu proſperam ualetudinẽ conſequuti ſunt uitamq; longæuam. Contulit inſuper ad futuram uitam, tum per gloriam apud poſteros propagandam, tum apud Deum in æternitate fruendã. Siquidem ex mirabili mundi totius ordine, eius tandem cognouere rectorem, & ante omnia cognitum amaucrunt. Tibi uero gloriam per ſecula cuncta futurã, magnanimi-

tas, magnificentia, uictoria perpetua pollicentur. Vitam quoq; apud deum in æuo beatam diuina clementia, insigni pietati tuæ iustitiæq; promittit. Vitam deniq; prosperam inter mortales satisq; longam (quantum ex indicijs quibusdam mihi licuit coniectare (felicia tibi sidera decreuerunt. Vt autem quod pollicentur id & præstent firmißima fide, & cumulo insuper prorogent pleniore, diligẽtia tua & Medicorũ astrologorumq; cura efficere proculdubio potest. Iam uero id posse scientia & prudentia fieri, doctißimi quiq; Astrologi ac medici confitẽtur. Quũ igitur inter Plotini libros magno Laurentio Medici destinatos, in librum Plotini de fauore cœlitus hauriendo tractantem, nuper commentariũ composuissem, inter cætera in eum nostra commentaria numeratum id quidem seligere nunc Laurentio quidem ipso probante, atque maiestati tuæ potißimũ dedicare decreui. Spero equidem dum uitæ tuæ prosperitatiq; consulam, uitæ interim, & splendori seculi nostri & humani generis consulturũ. Atq; ut ualetudini prosperitatiq; regiæ ualidius hæc nostra prodessent, per Valorem ipsum mittenda putaui. Hunc tu igitur Valorem nostrũ clementissime Rex complectere precor. Tantum enim natura, uirtus, autoritas tua ualet, ut absq; te nequeat uel Valor ipse ualere. X. Iulij. M.CCCC.LXXXIX. Florentiæ.

rem sequentis libri Exhortatio.

SAlue hospes ingeniose. Salue iterum quisquis es salutis auidus, qui nostra ad limina tendis. Vide precor hospes cupide primum, quàm hospitalis sim: Intrantis erat certe, salutem statim hospitio dicere: Ego uero salute præueniens, mox prospectum saluere te iussi. Intrantem & adhuc ignotum perlibenter excepi. Trahentē apud me moras, promissa (si Deus aspirauerit) salute donabo. Hospitium ergo nactus es amicum quidem omnibus, & amoris nunc erga te plenū. Siquid fortè fers tecum amori contrarium, siquid habes odij, prius ponito precor quàm medicinas hic uitales attingas. Vitā enim tibi dedit amor, uoluptasq; parentum: Vitam uicissim demit odium, atq; dolor. Quē igitur odiosus uexat dolor, huic nullus usquam Medicinæ uitali relictus est locus. Quamobrem deinceps te nō ut hospitem tantum iam alloquor, sed amicum. Officina Marsilij tui aliquāto est amplior quàm his cancellis duntaxat quos hic uides, coërceatur. Nō enim solo hoc libro sequente, sed duobus etiam præcedentibus circunscribitur. Tota uero summatim Medicina quædam est pro uiribus opitulatura uitæ, ut ualida tibi uita sit, ut longa. Idq; ubiq; medicorū ope cœlitus adiuta molitur. Varia sanè pro diuersis hominum ingenijs atq; naturis nostra hæc officina, antidota, pharmaca, fomenta, unguenta, remedia pro

fert. Si qua tibi fortasse minus placeant, mittito quidem ista, cætera propterea ne respuito. Deniq; si nõ probas imagines Astronomicas, alioquin pro ualetudine mortaliũ adinuentas, quas & ego non tam probo quàm narro: has utique me concedente, ac etiam si uis consulẽte, dimittito. Medicinas saltem cœlesti quodam adminiculo confirmatas, nisi forte uitam neglexeris, haud negligito. Ego enim frequẽti iamdiu experientia compertũ habeo, tantũ interesse inter medicinas huiusmodi, atq; alias absq; delectu astrologico factas, quantũ inter merum & aquam: ut etiam infans octauo à conceptione mense natus Florentiæ mense Martio, nocte ascendente, Saturno retrogrado semiuiuus, eiusmodi diligẽtia uideatur à nobis, imò à Deo quasi uitæ redditus potius quàm seruatus, triennium q; ualidus fermè iamimpleuerit. Iam uero si præter ea generis eiusdem plura narrauero, uera loquar. Nec gloriabundus (quod est à philosopho penitus alienũ) sed exhortabundus potius afferam. Verum satis iam partim quidem concilii antes, partim etiam exhortantes alloquuti te sumus. Deinceps igitur cum Plotino loquamur, ita demum tibi diligentius consulturi.

FICINI FLORENTINI LIBER

de Vita cœlitus comparanda, compositus ab eodem inter Commentaria eiusdem in Plotinum.

In quo constituat secundũ Plotinum uirtus fauorem cœlitus attrahens, scilicet in eo quod anima mundi & stellarum dæmonumq; animæ facile alliciuntur corporum formis accommodatis.

CAPVT PRIMVM.



I tantum hæc duo sint in mũdo, hinc quidẽ intellectus, inde uero corpus, sed absit anima: tũc neq; intellectus trahetur ad corpus (immobilis enim est omnino caretq; affectu motionis principio, tanquã à corpore longissime distans) neq; corpus trahetur ad intellectum, uelut ad motum per se inefficax & ineptum, longeq; ab intellectu remotum. Verum si interponatur anima utrique conformis, facile utrinq; & ad utraque fiet attractus. Primo quidem ipsa omnium facillime ducitur, quoniam primum mobile est, & ex se & sponte mo-

bile. Præterea quum sit (ut dixi) media rerum, omnia suo in se modo continet, & utrinq; ratione propinqua. Ideoq; conciliatur & omnibus, etiam æqualiter illis quæ inter se distant, ab ea uidelicet non distantibus. Præter enim id quod hinc quidem conformis est diuinis, inde uero caducis, & ad utraq; uergit affectu, tota interim est simul ubique. Accedit ad hæc quod anima mundi totidem saltem rationes rerum seminales diuinitus habet, quot ideæ sunt in mente diuina, quibus ipsa rationibus totidem fabricat species in materia. Vnde unaquæq; species per propriam rationem seminalem proprie respondet ideæ, facileq; potest per hanc sæpe aliquid illinc accipere: quandoquidem per hanc illinc est effecta. Ideoq; si quando à propria forma degeneret, potest hoc medio sibi proximo formari rursum, perq; id medium inde facile reformari, ac si certe cuidam rerum speciei uel indiuiduo eius rite adhibeas multa, quæ sparsa sunt, sed eidem ideæ conformia. Mox in materiam hanc ita opportune paratam, singulare munus ab idea trahes per rationem uidelicet animæ seminalem. Non enim intellectus ipse proprie, sed anima ducitur. Nemo itaq; putet certis mundi materijs trahi numina quædam à materijs penitus segregata, sed dæmones potius animatiq; mundi munera stellarumq; uiuentium. Nemo rursum miretur per materiales formas animam quasi allici posse.

Species singulæ ideas sortiuntur suas.

Siquidem

Siquidem escas eiusmodi sibi congruas ipsamet quibus alliceretur, effecit: & semper libenterq; habitat in eisdem. Neq; in mundo uiuente toto quicquã reperitur tam deforme, cui non adsit anima, cui non insit & animæ munus. Cõgruitates igitur eiusmodi formarũ, ad rationes animæ mũdi, Zoroaster diuinas illices appellauit, quas & Synesius magicas esse illecebras confirmauit. Nemo deniq; credat ad propriã quandã materiæ speciẽ & tempore certo hauriri omnia prorsus ex anima dona, sed pro opportunitate dona duntaxat seminis, quo talis species pullulauit, seminumq; conformium. Itaq; hic homo humanis tantum adhibitis, non proprias piscium uel auium dotes, inde sibi uendicat, sed humanas atq; consimiles. Adhibitis autem quæ ad stellam talem pertinent atq; dæmonem, stellæ dæmonisq; huius proprium subit influxum, uelut lignũ per sulphur paratum ad flammam ubiq; præsentẽ. Atque hunc non modo per ipsos stellæ dæmonisq; radios, sed etiam per ipsam mundi animã ubiq; præsentẽ, in qua & cuiuslibet stellæ dæmonisq; ratio uiget: partim quidem seminalis ad generandum, partim etiam exemplaris ad cognoscendum. Hæc enim secundum Platonicos antiquiores, rationibus suis ædificauit ultra stellas in cœlo figuras, partesq; ipsarũ tales, ut ipsæ quoque figuræ quædam sint, impreßitq; his omnibus proprietates. In stellis autem, figuris, partibus, proprieta

Zoroaster. Synesius.

tibus, omnes rerum inferiorum ſpecies continẽtur & proprietates earũ. Vniuerſales uero figuras octo poſuit atque quadraginta, ſcilicet in zodiaco duodecim, extra uero ſex atq; triginta. Item in zodiaco triginta ſex ad numerum facierũ. Rurſus ibidẽ ter centũ atq; ſexaginta ad numerum graduum. In quouis enim gradu ſunt ſtellæ plures, ex quibus ibi conficiuntur imagines. Similiter imagines extra zodiacum in plures diuiſit figuras pro facierũ ibidem graduumq; ſuorũ numero. Conſtituit denique ab imaginibus his uniuerſalibus ad uniuerſales imagines habitudines & proportiones quaſdã, quæ ipſæ quoq; imagines illic exiſtũt. Eiuſmodi uero figuræ continuitatẽ quæq; ſuam habent ex radijs ſtellarum ſuarũ in ſe inuicẽ, peculiari quadã proprietate coniectis. A quibus formis ordinatiſſimis dependent inferiorum formæ, illinc uidelicet ordinatæ. Sed & cœleſtes illæ tanquã & inter ſe diſiũctæ, procedunt à rationibus animæ cõiunctis inuicẽ, & quodam modo mutabiles à ſtabilibus. Sed hæ quatenus ſeipſas nõ comprehendũt, referuntur ad formas in mente uel animali uel eminẽtiore ſeſe comprehendentes, quæ tanquam multiplices ad ſimpliciſſimũ rediguntur unum atq; bonum, ſicut figuræ cœleſtes ad polum. Sed reducamus ad animam. Quando igitur anima gignit ſpeciales inferiorum formas uiresq;, eas per rationes efficit proprias, ſub ſtellarum formarumq; cœleſtium admi-

Zodiaci partitio.

niculo,

niculo. Singulares uero indiuiduorum dotes, quæ sæpe nonnullis insunt tam mirabiles quàm in speciebus esse solent, exhibet per seminales similiter rationes, nõ tam sub adminiculo formarum figurarumq; cœlestium quàm situ stellarum & habitu motionum, aspectuumq; Planetarũ, tum inter se, tum ad stellas Planetis sublimiores. Anima quidẽ nostra ultra uires membrorum proprias, communem ubique promit in nobis uitæ uirtutem. Maxime uero per cor, tanquam ignis animæ proximi fontem. Similiter anima mundi ubiq; uigẽs per Solem præcipue suam passim explicat communis uitæ uirtutem. Vnde quidam animam & in nobis & in mũdo, in quolibet membro totam, potißimũ in corde collocant atque Sole. Semper uero memento sicut animæ nostræ uirtus per spiritũ adhibetur membris, sic uirtutem animæ mundi per quintam essentiã, quæ ubiq; uiget tanquam spiritus intra corpus mundanum, sub anima mundi dilatari per omnia, maxime uero illis uirtutem hanc infundi, quæ eiusmodi spiritus plurimum hauserunt. Potest autem quinta hæc essentia à nobis intus magis magisq; assumi, si quis sciuerit eam alijs elementis immixtam plurimum segregare, uel saltem his rebus frequẽter uti, quæ hac abundant, puriore præsertim, ceu electum uinum & saccharũ, & balsamũ atq; aurum, precioſiq; lapilli, myrobalaniq;, & quæ suauißime redolent, et quæ lucent. Maxi

me uero quæ in subtili substantia qualitatem habent ca lidam, humidamq; & claram. Quale præter uinum est albissimum saccharum, præsertim si huic adhibue ris aurum, odoremq; cinnami atq; rosarum. Præterea sicut alimenta rite in nobis assumpta per se non uiua, rediguntur per spiritum nostrum ad uitæ nostræ for mam, sic & corpora nostra rite accommodata corpo ri spirituiq; mundano, uidelicet per res mundanas, & per nostrum spiritū, hauriunt ex uita mundana quàm plurimū. Si uolucris ut alimentum rapiat præ cæteris formam cerebri tui uel iecoris atque stomachi, simile quantum potes accipe alimentum, id est cerebrum, & iecur, & stomachum, animalium ab humana natura non longe distantium. Si optas corpus tuum atq; spiri tum ex aliquo mundi membro, uidelicet ex Sole uir tutem accipere, quære quæ ante alia sunt Solaria in ter metalla lapillosq;, magis autem inter plantas. Sed inter animalia magis, maxime inter homines. Similio ra enim tibi magis proculdubio conferūt. Hæc & ex tra sunt adhibenda, & intus pro uiribus assumenda, præsertim in die & hora Solis, & Sole in figura cœ li regnante. Solaria uero sunt omnia ex lapillis & flo ribus quæ heliotropia nominātur, quia uertuntur ad Solem. Item aurum & auripigmentum, aureiq; colo res, chrysolithus, carbūculus, myrrha, thus, muscus, ambra, balsamum, mel flauum, calamus aromaticus,

crocus,

crocus, spica nardi, cinnamomum, lignum aloës, cæteraq; aromata. Aries, astur, gallus, olor, leo, cătharis, crocodilus, homines flaui, crispi, sæpe calui, magnanimi, superiora partim cibarijs, partim unguentis sub fumigationibusq;, partim usui accõmodari possunt. Hæc sentienda, & cogitanda frequenter, & in primis amanda. Et luminis plurimum est quærendum. Si dubites uentrem ab iecoris fomento destitui, trahe ad uentrem iecoris facultatem, tum frictionibus, tum fomentis, per ea quæ iecori congruunt, per cicoream, endiuiam, spodium, & cupatorium, & Hepaticam, atque hepata. Similiter ne destituatur tuum corpus ab Ioue, moue corpus in die, horaq;, & regno Iouis, & utere interim Iouialibus: Argento, hyacintho, topatio, corallo, crystallo, berillo, spodio, saphyro, uiridibus aërijsq; coloribus: Vino, saccharo albo, melle, & cogitationibus affectionibusq; plurimum Iouialibus, id est constantibus, æquis, religiosis atq; legiferis. Et inter homines eiusmodi, sanguincósque & pulchros, uenerabilésque uersantor. Sed memento primis illis rebus frigidis inserendum esse aurum & uinum, mentamq; & crocum, & cinnamomum atq; doronicum. Animalia uero Iouialia esse agnum pauonemq;, & aquilam & iuuencum. Quomodo uero uirtus Veneris attrahatur turturibus, columbis & motacillis, & reliquis, non permittit pudor ostendere.

De concordia mundi, & de natura hominis secundum stellas. Quomodo fiat attractus ab unaquaq; stella. Cap. II.

NEque uero diffidere debet quisquam, nos atque omnia quæ circa nos sunt, præparamentis quibusdam posse sibi uendicare cœlestia. Nam cœlitus hæc facta sunt assiduéque reguntur, & illinc in primis præparata sunt ad illa. Et quod maximũ est, mundus animal in se magis unum est, quàm quoduis aliud animal, si modo est animal perfectißimum. Ergo sicut in nobis mẽbri cuiuslibet præsertim principalis qualitas motusq; ad alia pertinet, ita membrorum principaliũ actus in mundo commouent omnia, & membra inferiora facile capiunt à supremis ultro dare paratis. Quo enim potentior causa est, eo prontior est ad agendũ, eo igitur propensior est ad dandum. Exigua igitur præparatio nobis insuper adhibita sufficit cœlestium muneribus capiendis, si modo quisq; ad id præcipue se accommodet, cui est præcipue subditus. Sed ante uniuscuiusq; nostrum proprietatẽ humanæ speciei proprietatem considerare debemus. Hanc igitur esse solarem astrologi Arabes consenserunt. Quod ego è statura hominis erecta pulchraq;, humoribusq; subtilibus & spiritus claritate, imaginationisq; perspicuitate, studioq; ueritatis & gloriæ, uerum

rum esse coniecto. Addo quinctiam proprietatē huic Mercurialem, ob strenuum uersatilis ingenij motum. Et quoniam humanum genus natum nudum, inerme, omnium egenū, hæc omnia propria industria sibi comparat, quod est Mercurij proprium. Addo etiam Iouialem, ob complexionem corporis temperatam atq; leges. Et quoniam secundo mense, quo Iuppiter dominatur, uitam accipimus, atq; nascimur nono, quo iterum recipit dominatum. Itaq; humana species ab his tribus potissimum dotes insuper ampliores ita demū sibi poterit uendicare, si per Solaria Mercurialiaq;, & Iouia seipsam eis magis indies atq; magis accommodabit. De reliquis autem quid? Saturnus non facile communem significat humani generis qualitatē atque sortem, sed hominem ab alijs segregatum, diuinū aut brutum, beatum aut extrema miseria pressum. Mars, Luna, Venus, affectus & actus homini cū cæteris animantibus æque communes. Ad Solem igitur & Iouem atq; Mercurium reuertamur. Solaria quidem nōnulla & Iouia diximus, Mercurialia uero nescio quomodo prætermisimus. Sunt autem eiusmodi: Stannum, Argentum, præsertim uiuum, Marcasita argentea, lapis Achates, uitrum Porphyriticum, & quæ croceum cum uiridi miscent, smaragdum atque lacca: Animalia sagacia & ingeniosa simul & strenua, simiæ, canes: Homines eloquentes, acuti, uersati-

Species humanæ planetis subiectæ.

les, oblonga facie, manibusq; non pingues. Sunt autem quærenda & exercenda quæ ad aliquẽ Planetam attinẽt, eo uidelicet dominante (ut diximus) in die & hora eius si fieri potest. Etiam quando ipse sit in domicilio, uel exaltatione, uel saltem triplicitate sua & termino & angulo cœli, extra combustionem directus, ac sæpius orientalis, si Sole sit superior: Item in Auge & aspiciatur à Luna. Si quis autem ab ipsa Luna beneficium, & à Venere poscat, tempora similia obseruare debebit. A Venere quidem per animalia sua quæ diximus, & per Corneolam & Saphyrũ lapidemq; Lazoli, æs croceũ atq; rubeũ & Corallum, omnesq; pulchros uariosq; uel uirides colores & flores, atque concentus suauesq; odores atq; sapores. A Luna per alba & humida & uiridia, per argentum atq; Crystallũ & uniones, & argenteam Marcasitam. Quoniam uero Saturnus quidem statui & perseuerantiæ dominatur, Mars autem efficaciæ motus, cogimur nonnunquam horum quoq; gratia ab eis patrocinia postulare, temporibus uidelicet similiter obseruatis. Ab illo quidem, per materias quasdam quodammodo terreas & fuscas atq; plumbeas, & fuscam Iaspidem & Magnetem & Camoinum atq; Chalcidoniũ, & ex parte quadam per aurũ & auream Marcasitam. A Marte uero, per ignea, rubea, æs rubeum, sulphurea omnia, ferrum lapidemq; sanguineum. Neq;

diffidas

diffidas Saturnũ habere nonnihil in auro. Nam propter pondus id putatur habere. Quinetiam Soli aurum simile, sic omnibus metallis ineſt sicut Sol in Planetis omnibus atq; ſtellis. Iam uero ſi quis conuicerit Saturnum & Martem natura noxios eſſe, quod equidem nunquam crediderim, tamen his quoq; utendum quemadmodum uenenis nõnunquam utuntur & Medici, quod Ptolomæus in Centiloquio probat. Proderit ergo quandoque uis Saturni caute ſumpta, ſicut apud Medicos quæ adſtringunt atq; continent, imò & quæ ſtupefaciunt, ſicut Opium & Mandragoræ: Martis quoq; ſicut euphorbium & helleborus. Cautiſſimi uero hac in re fuiſſe uidentur Magi Brachmanes Pythagorici, qui quum ob ſedulum philoſophandi ſtudium Saturni tyrannidem formidarent, ueſtibus albis amiciebantur, Iouialibusq; ſiue phœbeis, quotidie ſonis & cantibus utebantur, plurimumq; ſub diuo uiuebant. Vbiq; uero memento per affectũ ſtudiumq; animi, & per ipſam ſpiritus qualitatẽ, nos facillime ſubditoq; exponi Planetis, eundem affectum ac eiuſmodi ſtudium & qualitatem ſignificantibus. Per ſæpe rationem igitur à rebus humanis, per ocium, ſolitudinẽ, firmitatem, per Theologiam, ſecretioremq; philoſophiam, ſuperſtitionẽ, Magiam, agricultura, per mœrorem Saturno ſubijcimur. Per ciuilia & ambitioſa negocia, per philoſophiam naturalem, cõmunemq;

Vitæ ſtudia Planetis ſubdita.

per religionem ciuilem, perq; leges Ioui, Marti per iram atq; certamina, Soli Mercurioq; per studiũ elo quentiæ, cantusq; & ueritatis & gloriæ atq; solertiã. Veneri per lætitiam & Musicã & festiua. Lunæ per uictum plantis similem. Sed hanc inter hos differentiam mente teneto, exercitationem ingenij magis publicam atq; amplam ad Solem spectare: Priuatam uero & artificio mancipatam, potius ad Mercurium. Tum uero Musicam grauem quidẽ Iouis Solisq; esse, leuem Veneris, mediam uero Mercurij. Similis quoque de stellis fixis ratio est. Hæc quidem communis humanæ speciei regula. Propria uero unicuiq; regula fuerit explorare quæ stella, quid boni cuiq; in genitura promiserit, atq; ab ea potius quàm ab alia reposcere gratiam. Et ab unaquaq; non quodlibet donum, & quod aliarum est, sed eius propriũ expectare, nisi forte tum à Sole cõmunia multa reportes, tanquam communi quodam duce cœlestium, & ab Ioue fermè similiter, tum mundana pariter omnia ab anima spirituq; mundi. Quem sicut & quoduis animal multoq; efficacius animatum esse, non solum Platonicæ rationes, sed etiam Astrologorum Arabum testimonia comprobant. Vbi etiam probant ex applicatione quadam spiritus nostri ad spiritum mundi per artem physicam affectumq; facta, traijci ad animã corpusq; nostrum bona cœlestia. Hinc quidem per spiritũ nostrum

strum in nobis medium, & tunc à mundi spiritu roboratum: inde uero per radios stellarũ feliciter agentes in spiritum nostrum, & radijs natura simïlem, & tunc scipsum cœlestibus coaptantem.

Quod inter animam mundi & corpus eius manifestum, sit spiritus eius in cuius uirtute sunt quatuor elementa: Et quod nos per spiritũ nostrũ hunc possimus haurire Cap. III.

PRofecto mundanum corpus quantum ex motu generationeq; apparet, est ubiq; uiuum, quod Indorum philosophi probant ex eo, quod passim ex se uiuentia generet. Ergo per animã uiuit ubiq; sibi præsentem, ac prorsus accommodatam. Igitur inter mundi corpus tractabile, & ex parte caducum, atq; ipsam eius animam, cuius natura nimium ab eiusmodi corpore distat, inest ubiq; spiritus, sicut inter animam & corpus in nobis: si modo ubiq; uita est cõmunicata semper ab anima corpori crassiori. Talis nanque spiritus necessariò requiritur tanquam medium, quo anima diuina & adsit corpori crassiori, & uitam eidem penitus largiatur. Corpus autem omne facile tibi sensibile, tanquam sensibus tuis accommodatum, crassius est, & ab anima diuinissima longe degenerans. Opus est igitur excellentioris corporis adminiculo quasi nõ

corporis. Proinde scimus uiuentia omnia tam plantas quàm animalia, per quendã spiritum huic similem uiuere atq; generare: Atque inter elementa (quod maxime spiritale est) uelocißime generare, perpetuoq; moueri quasi uiuens. Sed quæres interea, si elementa atq; animantes generant aliquid sibi simile suo quodã spi-

Problema. *ritu, cur lapides & metalla non generant, quæ inter eleméta & animantes media sunt? Quia uidelicet spiritus in eis crassiori materia cohibetur. Qui si quando rite secernatur, secretusq; conseruetur, tanquã seminaria uirtus poterit sibi simile generare: si modo materiæ cuidam adhibeatur generis eiusdem, qualem spiritum physici diligentes sublimatione quadam ad ignem ex auro secernentes, cuiuis metallorum adhibebunt, aurumq; efficient. Talem utiq; spiritum ex auro uel ex alio rite tractum atq; seruatum Elixer Arabes astrologi nominant. Sed ad mundi spiritum redeamus, per quem mundus generat omnia, quandoquidẽ & per spiritũ propriũ omnia generant, quẽ tum cœlum, tum quintã essentiã possumus appellare. Qui talis fermè est in corpore mũdi, qualis in nostro noster. Hoc in primis excepto, quod anima mũdi hunc nõ trahit ex quatuor elementis tanquã humoribus suis, sicut ex nostris nostra, imò hũc proxime (ut Platonice siue Plotinice loquár) ex uirtute sua procreat genitali quasi tumens, & simul cum eo stellas, statimq; per eum parit quas-*

lit quatuor elemẽta, quasi in illius spiritus uirtute sint omnia. Ipse uero est corpus tenuissimũ, quasi non corpus, et quasi iam anima: Item quasi nõ anima, & quasi iam corpus. In eius uirtute minimum est naturæ terrenæ, plus aũt aqueæ, plus item aëriæ. Rursus igneæ stellarisq; quamplurimum. Ad horum graduum mensuras, ipsæ quantitates stellarum elementorumq; produerunt. Ipse uero ubiq; uiget, in omnibus generationis omnis proximus autor atq; motus, de quo ille:

Spiritus intus alit.

Totus est suapte natura lucidus calidusq;, & humidus atq; uiuificus, ex dotibus animæ superioribus dotes eiusmodi nactus. Quem plurimum hausisse Apollonii Theanæũ, testificatus est Indus Hiarchas dicẽs: Mirari nemo debet ô Apolloni te diuinandi scientiam consequutum, quum tantum ætheris in anima geras. Appollonius Theanæus.

Quod spiritus nõster hauriat mundi spiritũ per radios Solis & Iouis, & quatenus ipse fiat solaris & Iouialis. Cap IIII.

HVnc tu igitur studebis tibi in primis insinuare. Hoc enim medio naturalia quædam beneficia reportabis, tum corporis mundani, tum animæ, tum etiam stellarum atq; dæmonum. Nam ipse inter crassum mundi corpus & animã medius est. Et in ipso

ſtellæ ſunt & dæmones, atque per ipſum. Siue enim mundi corpus atq; mundana ſint ab anima mũdi proxima (ſicut Plotino placet atq; Porphyrio) ſiue mundanũ corpus: ſicut & anima proxime ſit à deo, ut noſtris placet, & forte Timæo Pythagorico, omnino uiuit mundus atq; ſpirat, ſpiritumq; eius nobis haurire licet. Hauritur autem proprie ab homine per ſuũ ſpiritum illi ſuapte natura conformem. Maxime ſi reddatur etiam arte cognatior, id eſt ſi maxime cœleſtis euadat. Euadit uero cœleſtis, ſi expurgetur à ſordibus, & omnino ab eis quæ inhærẽt ſibi diſſimilia cœlo. Quæ quidem ſordes non ſolum intra uiſcera ſi fuerint, uerumetiam ſi in animo, ſi in cute, ſi in ueſtibus, ſi in habitatione & aëre, ſpiritum frequenter inficiunt. Efficietur tandem cœleſtis, ſi ad orbicularem animi corporisq; motum, ipſe quoq; orbes efficiat: Si ad aſpectũ cogitationemq; lucis frequentiorem etiam ipſe ſubrutilet: Si adhibeãtur ei ſimilia cœlo, ea communiter diligentia qua Auicenna in libro De uiribus cordis ſpiritum curat. Et nos in libro De curanda literatorum ualetudine curare contendimus. Vbi primum ſegregantur ab eo uapores obnubilantes, medicinis ita purgantibus. Secũdo, rebus lucentibus illuſtratur. Tertio ita colitur, ut & tenuetur ſimul & confirmetur. Fiet deniq; cœleſtis maxime, quantũ dictat ratio præſens, ſi applicentur ei potiſſimum radij influxusq; Solis inter cœ-

Mundus uiuens & ſpirans.

ter cœlestia dominantis. Atque ita ex hoc spiritu tanquam in nobis medio cœlestia bona in primis insita sibi in nostrũ tum corpus, tum animum exundabunt: Bona inquam cœlestia cuncta. In sole enim omnia continentur. Conferet autem sol ad spiritum solarem efficiendum proprie, quando sub Ariete fuerit, uel Leone ipsum aspiciente Luna, maxime in Leone. Vbi adeò spiritum nostrum uegetat, ut ipsum muniat contra uenenum Epidemiæ repellendum: quod perspicue appareret in Babylonia & Aegypto, & regionibus spectantibus ad Leonem, ubi Sol Leonem intrans, epidemiam sedat, ea duntaxat ratione, qua diximus. Tunc ergo & tu Solaria paßim exquisita compone. Tunc incipe solaribus uti, ea tamen cautione, qua sub æstu exiccationem diligenter euites. Non poterit autem facile spiritus solaris euadere, nisi sit quamplurimus. Ad solem enim maxime pertinet amplitudo: Quamplurimum uero faciet, tum diligentia cor rebus cordialibus intus & extra fouens, tum etiã uictus ex alimẽtis quidẽ subtilibus, multũ tamen & facile & salubriter nutrientibus. Motus quoq; frequens atq; lenis, & opportuna quies, aërq; tenuis atq; serenus, & ab æstu gelúq; remotus, præcipue lætus animus. Rursum nec Solaris erit, nisi calidus fuerit & subtilis, & clarus. Subtilem clarũmq; facies, si tristia & crassa deuitabis & fusca. Vtéris lucidis lætisq; intus & extra. Luminis mul

tum die nocteq; excipies. Sordes expelles, & ocium & torporẽ. In primis tenebras deuitabis. Perductu-rus autem spiritum ad calorem Soli naturalem, caue ne ad tertium caloris gradum siccitatemq; deducas. Calor enim ipse Solis naturaliter non exiccat: Alio-quin non esset Sol uitæ generationisq; dominus, & au tor augmẽti. Siccare uero contingi, tradijs eius in con cauis materiæ siccæ conclusis. Humorem itaq; calori subtilem qualis est Solaris, & maxime Iouius, adhibe bis & conseruabis in spiritu, rerum eiusmodi usu, si Solarem sis effecturus, ne alioquin ad Martium po-tius quàm ad Solarem forte deducas. Martem qui-dem Soli esse similem in paucis & his quidem manife-stis, nec admodum excellentibus, & interim inimicũ esse ferunt. Iouem uero Soli simillimũ in plurimis ex-cellentibusq; muneribus quãuis occultioribus, & ami ciſsimum esse scimus. Vnde & Ptolemæus ubi de con-sonantia disputat, Iouẽ ait cum Sole præ cæteris per-fectiſsime consonare, Veneremq; cum Luna. Omnesq; Astrologi uniuersalem beneficẽtiam Soli tribuunt si-militer atq; Ioui: Quãuis Sol eadem efficacius agat, & Iupiter sub uirtute Solis efficiat. In utroque calor uiget, superatq; humorẽ. Sed in Ioue superat modice, in sole superat excellenter: Vtrobiq; benefice. Quum igitur adeò consonent, facile poteris spiritũ Solarem efficere pariter atq; Iouiũ, ac res Solares & Iouiales

rite

rite poteris inuicem commiscere. Præsertim si & has inuicem componas, & spiritui adhibeas, quando Iupiter Solem trino aspicit uel sextili, uel saltem quando Luna ab aspectu alterius ad alterum procedit aspiciendum: Maxime quando ab aspectu Solis ad coitum cum Ioue progreditur. Seorsum uero Solarem proprie facies uel Iouialem, quando aspectũ Lunæ ad Solem obseruaueris uel ad Iouem. Tametsi consequutus naturam huius, naturã mox illius facile consequêris. Sextilem uero aspectũ intellige, quando Planetæ duo inter se signorum duorum spacio distant. Trinum autem, quando quatuor signorum discrepãt interuallo. Coniunctionem uero uel aspectum Lunæ ad alios, duodecim gradibus citrà, totidemq; ultrà metimur. Planetarũ aspectus.

Quod tres Gratiæ sint Iupiter & Sol & Venus, & quod Iupiter sit Gratia geminarũ media, & maxime nobis accommodata. Cap. V.

COmpositiones quidem, & curationes Iouias, simulatq; Solares inuenies in libro nostro de Vita longa, et in libro De literatorũ cura. Vbi etiam miscuimus pleraq; Venerea. Nam & nos in studiosis timemus exiccationem, cui resistit Venus. Et hæc ipsa Venus est amicissima Ioui, sicut & Soli Iuppiter,

Quasi Gratiæ tres inter se concordes, atq; coniunctæ. Ab his quidem tribus cœli Gratijs, & à stellis eiusdem generis Astrologi gratias & sperant & diligēter exquirunt, easq; per Mercurium atq; Lunam, quasi nuncios transmitti putant atq; curant: facile uero communiterq; per Lunam. Lunam quidem cum Ioue coniunctam, aut Venere feliciorem esse putant, quàm si per sextilem aspexerit, aut trinum. Veruntamen si per trinum aspiciēs etiã suscipiatur ab illis, quasi existimant esse coniunctam. Similiter si à Sole perspecta fuerit simulq; recepta. Nos autem si horum triũ, stellarumq; similium uires effectusq; omnes percurrere singulatim uelimus, longũ opus aggrederemur, exquisitu difficile, difficillimum obseruatu. Si ad Venerem nos proprie conferamus, non facile Solem habemus: Si ad Solem proprie, non facile Venerem. Vt igitur tres simul in uno gratias complectamur, ad Iouem tandem confugiemus, inter Solem Veneremq; natura effectuq; medium, qualitate admodum temperatum, et quæcunque sperantur à Venere uel à Sole, suo quodam pacto tradentem, magnificentius quidem honestiusq; quàm Venus: temperatius quoque quàm Sol, & in omnibus cum humana natura maxime congruentem. Vtemur itaque Iouijs quando & ipse & Luna dignitatem tum naturalem, tum accidentalem habuerint, sintq; simul, uel feliciter se aspiciant. Si quando id fieri omnino nõ

possit,

poßit, miſce Solaria in unum ſimulatq; Venerea, faciesq; ſic Iouiale ex utriſq; compoſitum, quando uidelicet Luna à coitu Veneris eat ad ſextilem Solis aſpectum, uel è conuerſo. Memento uero in rebus componendis quæ cor ſpiritumq; foucant & corroborẽt, Lunam conferre potißimum, ſi unà cum his muneribus hoc etiã habuerit, ut per aëria ſigna diſcurrat, maxime per aquarium, quod eſſe maxime putatur aërium: Vel ſi in ſuo domicilio ſit, aut exaltatione ſua, uel domo Iouis aut Solis: Et ubicunq; ſit, ſi manſionem ex uiginti illis & octo teneat, tum ſibi, tum etiam operi competentem.

De uirtutibus naturalibus uitalibus & animalibus, & qui Planetarum ſingulis aut commodent incomodẽtue, idq; maxime per aſpectus.

CAP. VI.

PRæcipua uero diſciplina eſt recte tenere quem ſpiritum, quam uim, quam rem potißimum hi Planetæ ſignificant. Luna ergo Venusq; uim & ſpiritum naturalem, atq; genitalem, & quæ hunc augent, Iupiter eadem, ſed efficacius heparq; & ſtomachum, habetq; non mediocrem partem in corde & ſpiritu, uirtuteq; uitali, quatenus ſuapte natura cum Sole conſentit, imò & per ſe ipſum: Alioquin cor uitalem ſpiritum nõ proprie in menſe Iouis acciperet. Vnde Iouẽ

Græci appellant uitã, & per quẽ uita. Habere quoq; in animali ſpiritu poteſtatem teſtantur Aſtrologi, dicentes Iouem ad philoſophiam & ueritatem inueniendam, relgionemq; conferre. Et Plato, ubi ait, ab Ioue philoſophos proficiſci. Quod etiam ſignificauit Homerus antiquorum opinione dicens: Talis eſt mens hominibus, qualem indies adducit pater hominum atque deorum. Nuſquam uero numen aliquod ita cognominat præter Iouem. Sol ſpiritum uitalẽ præcipue, coráq; ſignificat, & habet nonnihil, imò non parum in capite, propter ſenſum atq; motũ, cuius eſt ipſe dominus, neq; uim deſerit naturalem. Mercurius cerebrum & inſtrumenta ſenſuum, ideoq; ſpiritum animalem. Proinde tutiſſima uia erit, nihil ſine Lunæ beneficio facere: Quandoquidem cœleſtia communiter & frequenter atq; facile ad inferiora demittit, quam alterum Solem nominant, quolibet menſe quatuor anni tempora facientem. In prima enim ſui quarta Peripatetici putant eſſe calidam atq; humidam. In ſecunda calidã & ſiccam. In tertia frigidam atq; ſiccam. In quarta frigidam atq; humidam: Lumenq; eius proculdubio Solis eſſe lumẽ: Humores generationemq; regere, omnesq; mutationes fœtus ipſius in aluo, cõuerſionibus ſuis metiri, & quoties Soli iungitur, uiuificã ab eo uirtutem recipere, quam inſundat humori, atq; ibidem à Mercurio uim humores commiſcentem. Quam uim Mercurius

Homerus.

curius & transformatione in omnes sua, & gyris multiplicibus affert. Ibidem mox à Venere uim, quæ conducat ad formas genituræ conuenientes. Operæpretiũ uero fuerit meminisse, diurnum Lunæ cursum in quatuor distribui quartas. In prima quidẽ ab Oriente ad medium ascendit cœlum, atq; interim humorẽ & spiritum auget naturalem. In secunda à cœli medio petit occasum, efficitq; in nobis oppositum. Tertia ab occasu cœlum subter medium adit, iteruãq; spiritum illum auget & humorem. Quarta cadit inde uersus ortũ, minuitq; uicißim. Quod maxime in oceani ripis appareret, ubi ad hunc cursum mare manifestius accedit atque recedit, eodemq; ordine uigor in ægrotantibus. Probabile etiam est, Solem per easdem sui quartas ad calorem naturalem & spiritum uitalem augere, uel diminuere: Animalem quoq;, quatenus Mercuriũ habet comitem. His cognitis poterit medicus pro humore & calore naturali, & quolibet spiritu recreando, tempora opportuniora seruare. Sed nunc de Luna satis. Neq; dimittere decet Iouem, in cuius mense altero quidem uitam accepimus, altero autẽ communiter & felicius nati sumus. Et qui inter Solem atq; Venerem, item inter Solem atque Lunam est qualitate effectuq; medius, ideoq; cõplectitur omnia. Solem uero ipsum prætermittere cœli dominum, nefas atq; periculosum existimamus: nisi forte quis dixerit, eum qui Iouem ha-

bet, in Ioue Solem iam habere, illic potißimum ad homines temperatum. In Sole certe omnes cœlestiũ esse uirtutes, non solum Iamblichus Iulianusq;, sed omnes
Proclus. affirmant. Et Proclus ait ad Solis aspectum omnes omnium cœlestium uirtutes congregari in unum atque colligi. Iouem uero esse Solem quendam ad nos temperatum, nemo negabit. Lunam quoq; temperatã ad Venerem haud neglexeris. Multũ enim ad ualidam prosperamq; uitam adiuuat. Siquidem Venus fœcundat hominem, facitq; lætũ. Hanc igitur obseruabis. Quanquam si Lunam Veneri similem, humore prorsus æqualem, & uix minus calidam, cum Ioue rite misceas aut Sole, propémodum iam Venerem habes. Quid ergo? Vt tutißima omnium & cõmodißima simul incedas uia, Lunam obserua, quando Solem aspicit, coitq; cum Ioue, uel saltem Iouem simul aspicit atq; Solem, aut certe quando post aspectũ Solis mox ad Iouis coitum progreditur uel aspectum. Atq; eo ipso tempore compone inuicẽ, uel adhibe tibi Solaria Iouiaq; simul atq; Venerea. Quod si te ad unum ex magnis confugere necessitas urgeat, uel negocium, ad Iouem ipsum uel potius ad Lunam simul Iouemq; confugito. Nulla enim stella naturales in nobis uires, imò & omnes magis quàm Iupiter fouet atque corroborat. Nulla rursum pollicetur prosperiora simulatq; plura. Et ubique hunc accipere faustum est. Solem uero accipere,

forsitan

forsitan non ubiq; tutum. Semper enim ille iuuat, hic sæpe nocere uidetur. Venus autem quasi debilis. Ideò solus ille iuuans pater est appellatus. Id autem comprobat Ptolemæus, ubi ait: Pharmacum uix quicquã mouere naturã duntaxat, quando Luna cum Ioue congreditur. Vsq; adeò illinc proprie totam putat uniuersi corporis corroborari naturã. Expertus sum quinetiam Luna cõiuncta cum Venere medicinam uix mouere. Quamuis autem ubi pituitam ualde timemus, Lunam præcipue obseruemus ad Solem: Vbi uero bilem exiccationemq; ciusmodi, ad Venerem, tamen directio Lunæ ad Iouem, & ad hæc omnia quodammodo confert, & præcipue ad atram bilem expellendã, necnon ad communem hominum complexionẽ instaurandam atq; firmandam. Sicut enim glycyrrhiza & oleum rosaceum frigidiora calefacit, calidiora refrigerat, uinumq; similiter: quod insuper humectat sicca, humidiora siccat: Ita Iupiter humano congruus calori, ut uinum, oleum rosaceum, camomilla, glycyrrhiza. Vbi igitur audis Albumasar dicentem: Nõ est uita uiuẽtibus præter deũ, nisi per Solem & Lunam. Id intellige, quantum ad communem omnibus spectat influxum. Proprius autem homini accommodatissimusq; influxus est ab Ioue. Sunt autem in natura corporis uires attrahendi, retinendi, coquendi, expellendi. Has igitur omnes Iupiter ipse iuuat. Potissimum

uero coquendi, siue digerendi uirtutẽ, atq; generandi & nutriendi simul & augendi, propter humorẽ eius aẽrium atque multum, & calorem eiusdem amplum, humori mediocriter dominantẽ. Profectò per radios Iouis semper usquequaque diffusos lumen Solis proprium ad salutem hominum maxime temperatur: radijs interim Veneris ad idem assidue conferẽtibus, atque similiter transferente Luna. Radij quidem Veneris atque Lunæ tanquam humidiores quodam indigent temperante, sicut & Solis radij tanquam calidiores, humidioris cuiusdam temperiem exigunt. Radij autem Iouis temperamentum nullum desiderant. Quid enim aliud Iuppiter est nisi Sol quidam ad salutem rerum præcipue humanarum ab initio temperatus? Quid rursus aliud, nisi Luna Venusq; facta tamen calidior atque potentior? Ideo Astrologi ab Ioue auspicantur annũ fertilem, serreum, salubrem, & ab eo imminentiũ morborum remedia sperant. Atq; Empedocles ubi propria unicuiq; Planetariũ munera tribuit, Iouem solum generationis principem nominat, Orpheum imitatus. Præter Iouem præcipiunt Lunã diligenter in omnibus operibus obseruandam, tanquã medium inter cœlestia competens, atq; terrena. Sit ergo Luna in gradu, situq;, & aspectu ad opus optatũ, conueniente. Non sit in eclyptica, nec sub radijs Solis per gradus duodecim ultra citraq;, nisi forte sit in eo-

Hinc Athenienses cum ἀλεξίκακῳ & Lindij λοιμιῳ appellabant.

dem

dem minuto cum Sole. Plerique uero uolunt omnes Planetas fore fortes quãdo in unitate Solis extiterint. Vnitatem uero metiũtur minutis duobus atq; triginta, ut xvi. quidem citra, xvi. uero ultra connumerentur. Nõ impediatur à Saturno uel Marte, nõ descendat in latitudine meridionali, quando duodecim dictos gradus egreditur. Non sit oppositа Soli, nec lumine minuatur, nec tarda cursu, quando scilicet die uno, duodecim nõ peragit gradus. Non sit in uia cõbusta à gradu Libræ uigesimooctauo ad tertiũ Scorpionis, nec in octaua, nec in Ascendente, nec in finibus Martis, uel Saturni. Quidam uero nec in sexta, duodecima, nona, quarta Lunam uolunt. In cæteris uero cœli plagis approbant. Vbi hæc omnia complecti non potes, Iouem saltem expecta, uel Vcnerẽ in Ascendente, uel decima: sic enim subueniũt detrimentis Lunæ. Nec ab re fuerit recordari quatenus Luna lumine augetur, eatenus & nobis non solum humorem, sed spiritum etiam uirtutemq; augeri, atq; hæc ad circumferẽtiam dilatari: Maxime in secunda eius quarta. Quando uero minuitur, contrà contingere, præsertim in ultima quarta. Primum eius ad Solem trinum præesse secundo. Hunc sextili primo. Hunc sextili secundo. Lunã quatenus lumine, eatenus repleri calore. Videtur ergo quidam non tam obseruare quomodo aspiciat Luna Solem (semper enim aspicit) quàm ut plurimum lumen

habeat, præsertim dum augetur. Aspiciat uero inter trino uel sextili Iouem aut Venerem. Proinde uir tutem attractiuam ignea iuuant: Retentiuam terrea: Digestiuam aëria: Expulsiuam peraquea. Situ has omnes in te adiuuare uolueris, attractiuam quidē per ignea maxime roborabis, quādo Luna in signis uel stationibus igneis constituta Iouem aspicit, scilicet Ariete, Leone, Sagittario. Retentiuam per terrea, potissimum, quando intuetur eundē in signis uel stationibus terreis collocata: Tauro, Virgine, Capricorno. Digestiuam generatiuamq; per aëria, scilicet Geminos, Libram, Aquarium, quoties sub aëreis Iouem suspicit, aut subit. Expulsiuam per aqueam, Cancrum, Pisces, Scorpium. Quando sub aqueis ipsa posita, Iouis radijs illustratur. Maxime uero in his omnibus cōsequeris optata, si Iupiter eadem uel similia, uel saltem non dissimillima signa mansionésue possederit. Citaturus aluum solidis medicinis, accipe Pisces: Liquidis, Scorpionem: Medijs uero, Cancrum. Per inferiora purgaturus, Pisces & Scorpium. Per superiora, Cancrum. Malum Saturni uel Martis ad Lunam deuitabis aspectum. Ille enim uexat stomachum, hic intestina dissoluit. Capricornum euitabis & Taurum: nauseā enim afferunt. Scis membrum irritandum non esse, quando Luna signum occupat membro præfectum (humores nanq; mouet) sed potius esse fouendum. Hæc uero de

uirtute

uirtute & ſpiritu naturali in iecore præcipue dominantibus, quæ in quatuor officia quæ narrauimus, diuiduntur, dicta ſufficiant. De uirtute uero ſpirituq; uitali in corde uigente quidnam monemus? Satis id firmè ſignificatum eſt. Nam per res in primis igneas & quodammodo ſimul aërias hæc adiuuantur, quando Luna in domicilijs manſionibúsue conſimilibus ſuſpicit Iouem, præcipue ſi Ioucm cõplectatur & Solem. Virtutem quoq; animalem per ſenſum & motũ in capite dominantem confirmare potes per aëria in primis, ſubiũctis igneis, quando Luna in domicilijs uel ſedibus cõſimilibus Iouẽ ſuſpicit: præſertim ſi Iouẽ propemodũ Mercuriumq; complectitur. Hic uero te moneo, ne Mercuriũ putes aqueum eſſe uel terreũ (quod & ego aliquãdo ſuſpicatus ſum: Alioquin motibus celeritatiq; ingenij non conferret) ſed quodammodo aërium eſſe ſcias. Nam & ob eandem cauſam tam mobilis eſt, tam facile conuertibilis, tantũ ingenio confert, præſertim in Aquario plurimũ aërio conſtitutus. Humor quidem in eo temperatus eſt, calor exiguus. Sub Sole poſitus dicitur exiccare. Longior autem à Sole factus, humectare putatur. Ibi quidem calefaccre multum ex natura Solis. Hic uero calefacere parũ admodum, & humefacere magis ſuapte natura. Calore forſan nõ cedit Veneri, Lunam ſuperat, humore uero cedit utriſq;. Haly probat Mercuriũ qualitates cœleſtiũ

Vitalis uirtutis confortatio.

commiscere: quoniam facillime permutetur, tum in qualitatem termini quem subit, tum in naturã stellæ, quam aspicit. Ego igitur hũc tam facile permutari puto, quia nec excellẽtem potestatem, quam Iupiter habet, nec excedentem qualitatem, quam plæraq; cœlestia, per quam alterationi resistat. Deniq; probabile est Mercurium assiduum Solis Achatem, multas illius uires habere, ideoq; sperari Solaria quædam à Mercurio posse. Aliquando uero & Martem tradunt, Solem in quibusdã muneribus imitari, ac Venerem quæ ad Lunam pertinent, elargiri. Hæc igitur in agendo memineris. Neq; negligas unquam terminos. Aiunt enim Planetas in diuersis terminis ceu lucidis atq; tenebrosis oppositas facere. Deniq; ubi Martem times, opone Venerem: Vbi Saturnum, adhibe Iouem. Ac da operam ut in perpetuo quodam pro uiribus motu uersetis, tantũ defatigatione uitata, ut & propriũ motũ externis motibus clàm nocituris opponas, & cœlestẽ actũ pro uiribus imiteris. Quod si poteris spacia motibus ampliora peragere, sic & cœlũ potius imitaberis, & plures cœlestiũ uires passim diffusas attinges.

Mercurius Solis bonorum particeps.

Quomodo membra foueantur in nobis per comparationem Lunæ ad signa & ad stellas fixas. Cap. VII.

TOtum quemadmodũ diximus corpus fouere poteris, caput uero potissimũ si Planetas obseruaueris

ueris in Ariete, uel in suo quenque domicilio primo. Præcordia si in Leone. Stomachum iecurq; si in Cancro atq; Sagittario, aut saltem in Virgine. Et acceperis ea quæ proprie membrum petunt. Expedit quoq; nosse, quæ quisq; Planeta membra insigno quolibet habeat. Potes etiam proprie pro ætatis discrimine consulere unicuiq; per quatuor ætates Lunæ. Hæc enim à nouilunio usq; ad quadraturam primam iuuenis est. Deinde ad pleniluniũ est iuuenis atq; uirilis. Hinc ad quadraturam alteram, uirilis simul atq; senilis. Inde usq; ad coniunctionẽ est senilis. Aetatem itaq; Lunæ feliciter ætati curandi corporis adhibebis, si tunc aspectum eius ad aliquam trium Gratiarũ acceperis. Qui sanè aspectus Lunæ semper & citò gratiosa largitur. Neq; tamen facile admodũ diuturna uel maxima, nisi præter intuitũ Lunæ, etiam ipsæ Gratiæ mutuò se conspiciãt iam, uel propèmodũ conspecturæ sint, aut tres ipsæ, aut duæ. In primis uero diuturna præbent signa fixa: Leo scilicet, Aquarius, Taurus, Scorpius. Si fortè non possis in præsentia Lunam ad Planetas gratiosos opportune dirigere, stellas elige fixas gratiarum naturam, id est Iouis aut Veneris aut Solis habentes, & ad eas directã Lunam elige. Tutius tamen est, Lunam interea Iouem propèmodum adire uel Venerem. Stellæ nanq; fixæ si solæ spectent, proportionem humanam, id est unius hominis nimis exuperant. Proportio-

onem uero cum ciuitatibus moderatiorem habent.

De uirtutibus & usu stellarum fixarum.

CAPVT VIII.

TRadũt Astrologi maiores quasdã stellas à Mercurio compertas, autoritatẽ habere quamplurimã. Qualis est in Arietis gradu xxij. umbilicus Andromedæ, Mercurialis atq; Venereus. Item in Tauri xviij. caput Algol, naturam Saturni posßidens, atque Iouis. Cui subesse uolunt Adamantem & artemisiam, & audaciam uictoriamq; præstare. In eiusdẽ gradu xxij. Pleiades, lunare sidus & Martium. Cui subijciũt crystallũ, herbam diacedon, semen fœniculi. Conferre putant ad acuendum uisum. Quod autem nonnulli dicũt conducere ad dæmonas conuocandos, figmentum esse iudico. Aldeboran primo uel tertio Geminorum gradu Martium atq; Venereũ. Hircus gradu eorundem xiij, Iouius atq; Saturnius. Huic subijciunt Saphyrũ, praßium, mentam, artemisiam, mandragoram. Ad dignitatem & principum gratiam adiuuare confidunt, nisi fortè eos opinio fallat. Illi subesse uolũt rubinum, titimallũ, matrisyluam. Diuitias & gloriã augere. In Cãcri sexto uel septimo Canis maior Venereus, præest berillo, sauinæ, artemisiæ, draconteæ. Præstat gratiam: item in xvij. eiusdem canis minor Mercurialis & Martius. Cui subesse uolunt lapidem Achatem, herbam Solsequium, & Pulegium: Atque

gratiam

gratiam elargiri. In Leonis xxi. Cor Leonis, stella regia Iouialis & Martia. Huic subijci putant lapidem Granatũ, chelidoniam, masticen, Melancholiã reprimere, temperatum gratiosumq; efficere. In Virginis xix. Cauda Vrsæ maioris Venerea & Lunaris. Lapidem eius Magnetem putant, Herbam cicoream & artemisiam, à raptoribus ueneficijsq; tueri. In Libræ, vij. Ala Corui dextra. Itẽ in eiusdem xij. et fortè xiij. Ala sinistra, Saturnia simul & Martia. Eius herbam lapacium & hyoscyamũ esse aiunt cum lingua ranæ audaciam augere: Fore noxiam, in eiusdem quindecimo uel sedecimo, spica uenerea Mercurialisq;. Quã sequatur Smaragdus, saluia, trifolium, promarulla, artemisia, mandragora, Diuitias augeat, & victoriã, & ab angustia uindicet. Deniq; in eiusdem xvij. uel xviij. Alchamcth. Huic subdunt Iaspidem & plantaginem, Firmare sanguinem sperant, febres omnes expellere, in Scorpionis quarto, Elpheia Venerea Martiaq;. Secundum uero computationem aliam in gradu eiusdem quinto est cornea, forsan eadem, præsidẽs topazio, rorimarino, trifolio, hederæ, augere gratiam, castitatem, gloriam putant. In Sagittarij tertio, Cor Scorpionis Martium atq; Iouium, præsidens Sardonio, amethisto, aristolochiæ longæ, croco. Opinantur colorem bonum efficere, animum lætum, sapientemq; reddere, dæmonia propulsare. In Capricorni

gradu septimo Vultur cadens, hãc sequitur Chrysolithus, Saturcgia, Fumus terræ. Stella est Mercurialis atq; Venerea, temperata. In ascendente medioq; cœlo prodest. Quod autem excantandi autoritatem afferre dicãt, nihilipendo. In aquarij. xvi. cauda Capricorni Saturnia, Mercurialisq;. Quam sequitur Calcidonius, maiorana, nepita, artemisia, mandragora. Præstare in causis gratiam opinantur. Diuitias augere, Hominem ac domum incolumem reddere. In Piscium tertio humerus equi Iouialis, & Martius. Thebit philosophus docet ad captandam alicuius stellæ modo dictæ uirtutẽ, lapidem eius accipere, herbamq; eiusdẽ, annulumq; aureum facere uel argenteum, in quo lapillum inseras herba subiecta, gerasq; tangentem. Id autem efficias quando Luna subit stellã, aut aspicit aspectu trino uel sextili: Et stella in medio percurrit cœlo uel ascendente. Ego uero quæ ad eiusmodi stellas attinent, in formam potius medicinæ quàm anuli componerem, intrinsecus uel extrinsecus adhibẽdæ, opportunitate uidelicet prædicti temporis obseruata. Tametsi prisci anulos magnifecerint. Nã Damis & Philostratus narrant, Hiarcham sapientum Indorũ principem simili quadam ratione septem anulos confeciſſe, stellarum septem nominibus appellatos, eosq; Apollonio Theanæo dediſſe. Qui deinde singulos diebus singulis gestauerit, iuxta dierum nomina, hos distinguens: Di-

xisse

xisse uero Hiarcham Apollonio, auum suum philoso
phum annos centum atq; triginta uixisse, eiusmodi fór
san cœlesti munere fretum. Quo & Apollonius dein-
de usus, centesimo etiam anno, ut aiunt, iuuenem præ-
ferebat. Deniq; siquid eiusmodi anuli uirtutis habent
ex alto, id quidem non tam ad animã uel ad crassum
corpus pertinere arbitror quàm ad spiritum, calefa-
cto paulatim anulo, sic inde uel sic affectũ, ut firmior
efficiatur, aut clarior, uehementior aut mitior, seue-
rior aut lætior. Quæ quidẽ affectiones in corpus qui-
dem omnino, & in animam sensualem quodammodo,
plærunq; indulgentem corpori transeunt. Quod au-
tem aduersum dæmonas aut hostes, aut ad principum
gratiam profuturos anulos pollicentur, uel fictũ est,
uel inde deductum, quod spiritũ interritum, firmumq;
efficiant, uel etiam mansuetum, obsequioq; amabilem,
atq; gratiosum. Iam uero, siquid cœlestia præter cor-
poream ualetudinem, conferre ad ingeniũ, artem, for
tunam dicerem, ab Aquinate Thoma nostro non dissi Diuus
derem, qui in libro cõtra Gentiles tertio probat à cor Thomas.
poribus cœlestibus imprimi nonnihil in corpore no-
stro, cuius munere disponamur ad eligendum sæpe
quod melius est, etiam si rationem finemq; nesciamus.
Qua quidẽ in re bene fortunatos appellat atq;, (con-
senticnte Aristotele) bene natos. Addit etiã uirtute cœ
lesti fieri nonnullos in quibusdam artiũ effectibus effi-

caces (ut eius uerbis utar) sicut miles in uincendo, agricola in plantãdo, medicus in sanando, felices. At enim Sicut herbæ lapidesq; mirabiles quasdã ultra naturã elementarẽ uires cœlitus habẽt, sic homines quoq; in artibus nõnullos habere. Mihi uero satis fuerit factũ, si cœlestia quomodocunque quasi per medicinas, siue interiores, siue exteriores ad prosperã conferãt ualetudinẽ, dummodo interea salutẽ corporis perquirentes, iacturã nullam salutis animæ faciamus. Nihil omnino tentemus à sancta religione prohibitũ. Præterea in opere quouis cõficiendo, fructũ operis ab eo speremus atq; petamus in primis, qui & cœlestia, & quæ continentur cœlo, fecit, & uirtute donauit, mouetq; semper atq; conseruat.

De dignitatibus Planetarum in signis ad usum medicinarum obseruandis.

CAP. IX.

SAturni domus, Aquarius & Capricornus: Exaltatio, Libra. Iouis domus, Sagittarius atque pisces: Exaltatio siue regnum, Cancer. Martis domicilium, Scorpius & Aries: Exaltatio Capricornus. Solis sedes quidem est Leo: Regnum Aries. Veneris habitaculum, Taurus atq; Libra: Exaltatio Pisces. Mercurij ædes, Virgo atq; Gemini: Regnum, Virgo. Lunæ domus, Cancer: Exaltatio, Taurus. Saturnus &

Iupiter

Iupiter triplicitatem habent in igneis aëreisq; signis. Sol in igneis tantum: Mercurius in aërijs solũ. Mars Venus, Luna in aqueis atq; terreis. Planetæ quilibet præter Solem ac Lunã, in quolibet signo fines quosdam suos possident, quos & terminos appellamus. Igitur in Ariete Iupiter sex ibi primos terminos obtinet: Venus sex inde sequẽtes, Mercurius posteriores octo, Mars quinq; deinceps, postremos quinq; Saturnus. In Tauro ordine deinceps simili Venus fines habet octo: Mercurius sex, Iupiter octo, Saturnus quinq;, Mars denique tres. In Geminis Mercurius sex, Iupiter sex, Venus quinq;, Mars septem, Saturnus sex. In Cancro Mars septem, Venus sex, Mercurius totidem, Iupiter septem, Saturnus quatuor. In Leone Iupiter sex, Venus quinq;, Saturnus septem, Mercurius sex, Mars totidem. In Virgine, Mercurius septem, Venus decem, Iupiter quatuor, Mars septem, Saturnus duos. In Libra, Saturnus sex, Mercurius octo, Iupiter septẽ, Venus totidẽ, Mars duos. In Scorpione, Mars septẽ, Venus quatuor, Mercurius octo, Iupiter quinq;, Saturnus sex, In sagittario Iupiter duodecim, Venus quinque, Mercurius quatuor, Saturnus quinq;, Mars quatuor. In Capricorno, Mercurius septem, Iupiter septem, Venus octo, Saturnus quatuor, Mars totidem. In Aquario, Mercurius septem, Venus sex, Iupiter septem, Mars quinque, Saturnus totidem. In piscibus,

Fines Planetarũ in signis.

Venus duodecim, Iupiter quatuor, Mercurius tres, Mars nouem, Saturnus deniq; duos. Sol autẽ & Luna alia ratione fines suos habent. Nam Sol quidem signa sex pro finibus habet, Leonẽ, Virginem, Libra, Scorpium, Sagittarium, Capricornũ. Luna uero reliquos, Aquariũ, Pisces, Arietem, Taurum, Geminos, Cancrum. Solem igitur atq; Lunam in his signis eum principatum efficiumq;, quem reliqui Planetæ in suis finibus habere putant. Præter fines habent in signis suas Planetæ facies, quas Græci Decanos nominãt, decem occupantes signi gradus. In Ariete facies prima Martis, Secunda Solis, qui Martem in cœlo sequitur. Ordine Chaldæorum tertia Veneris, quæ Soli succedit in cœlo. In Tauro prima facies Mercurij, sequentis Venerem. Secunda Lunæ, quæ Mercurio succedit, Tertia Saturni. Ad hunc enim redeundum est, impleto iam numero Planetarum. In Geminis prima Iouis, sequẽtis uidelicet Saturnum: Secunda Martis, Tertia Solis eodem ordine, similiterq; deinceps.

Quomodo Planetis uti debeamus in medicinis. CAP. X.

COmmemorauimus autẽ quas in signis Planetæ dignitates habent, ut quoties facturi composituriq; sumus quæ ad planetam aliquem attinent, sciamus eum in suis dignitatibus collocare, Præsertim quando

quando habuerit in nostra reuolutione & genesi principatū, ut etiam Saturnus atq; Mars, alioquin deprimendi nobis tamen sint erigendi si genituræ nostræ significatores extiterint. Maxime uero operæpretium ex hac commemoratione fecerimus si quando usuri in medicinis cōficiendis beneficio Lunæ & Veneris, atq; Iouis, cauebimus ne in finibus Saturni uel Martis existant, nisi fortè ubi cogimur, uel per Saturnum cohibere dissolutionem æstumq; reprimere, uel per Martem frigidissima calefacere, torpentia suscitare, alioquin fines Iouis & Veneris eligemus. Accipiemus quoque Mercurij fines Mercurialibus in primis hominibus profuturi. Neque latere nos debet, homines ualde Mercuriales, quales sunt, qui ingenio, artificio, eloquio pollent, non mediocriter esse Solares. Mercurius enim semper est Apolline plenus. Vt autem quiuis intelligat quomodo figuras in cœlo describamus in oras: Signum quod ab oriente surgit, primā appellamus uitæq; domum. Quod succedit in ortum, secundam: tertiamq; deinceps, aliasq; similiter: ita ut septima domus sit signum, quod in occidente iam descendens opponitur ascendenti. Huic octaua succedit. Nona uero è medio cadit cœlo, quod decimam domum efficit. Huic succedit undecima. Sed duodecima cadit ab ascendente. Vt igitur Planetæ sint potentes, habendi sunt in angulis uel orientis, uel occidentis, uel medij utrinq; cœli.

Domiciliorum constitutio.

Maxime uero in angulo aſcendentis, aut decimæ, mediũ ſupra caput obtinentis cœlũ, aut ſaltem in plagis quæ angulis mox ſuccedũt. Tametſi Solem quidem in nona, quæ à medio cadit cœlo, Lunã uero ĩ tertia etiã cadente gaudere putant. Duas inter hæc regulas mente teneri Aſtrologi uolũt. Vnam quidẽ ægrotantis ratione, Alterã uero medici. Nempe ubi ægrotãtis ſeptima domus per Saturnũ uel Martem infortunata eſt, uel dominus eius infelix, ſepara medicum ab ægroto, ſi Ptolemæo credis. Præterea medicum electurus, Saturniũ Martialemq; declinare iubẽt, eumq; perquirere in cuius genitura domus ſexta per aſpectũ Solis, uel per Venerẽ aut Iouẽ, quomodocunq; fuerit fortunata. Infortunatũ uero dicimus ſignũ uel Planetã per Saturnum, aut Martẽ, niſi propria domicilia ſint, uel regna quãdo uidelicet uel ibi ſunt, uel illuc aſpiciũt oppoſito uel quadrato. Oppoſitũ uero aſpectũ dicimus inter illa quæ interuallo diſcrepant quamlongiſſimo. Quadratũ uero, ubi hoc ab illo quarta parte cœli, id eſt ſignorũ trium ſpacio diſtãt. Minus tamẽ per cõiunctionem oppoſitũ quadratũ Saturnus & Mars Planetis alijs nocent, quando tanquã hoſpites eos domicilio uel regno ſuo terminóue ſuſcipiunt. Quẽadmodũ Planetæ felices magis proſunt, quãdo præter ſextilẽ trinúmue aſpectũ atq; cõiunctionẽ, etiam ut diximus, ſic excipiũt. Solis tamẽ coniunctionẽ Planetæ uerentur, aſpectu gau-

Iu gaudēt, trino uidelicet uel sextili. Proinde necessa
riū est meminisse Arietē præesse capiti atq; faciei, Tau
rum collo, Geminos brachijs atq; humeris, Cancrū pe Planetarū
ctori, pulmonibus, stomacho, lacertis: Leonem cordi, ad membra
& stomacho, atq; iecori, & dorso, et costis posteriori respectus.
bus: Virginem intestinis & fundo stomachi: Libram
renibus & fœmori atq; natibus: Scorpionem genitali
bus, uuluæ, matrici: Sagittariū fœmori atq; subingui
nibus: Capricornū genibus, Aquarium cruribus ti
bijsq;, Pisces pedibus. Huius enim ordinis memor ca
uebis membrum tangere ferro, uel igne, uel cucur
bitulis, quando Luna sub eius signo discurrit. Tunc
enim auget Luna humores in membro. Quorum af
fluentia, & consolidationē prohibet, & grauat mem
bri uirtutem. Obseruabis autem tunc membrum re
medijs quibusdam amicis, uel extra uel intus adhibitis
opportune feliciterq; fouere. Expedit uero nosse quod
signum ascenderit tibi nascenti. Nam præter Arietem
hoc etiā tibi caput significat, atq; in hoc Luna tibi ca
put aspicit. Præterea quādo Luna arietē subit, oppor
tune balnea tentas & lauacra. Quando cancrum, feli
citer minue sanguinem, Medicinam accipe, præsertim
electuarij formam. Quando est in Leone ne prouoca
uomitum. Quū in Libra, clysteribus apta est. In scor
pione balnea nec tentes. Sunt qui medicinam soluturā
dare nec prohibent, neq; iubēt. In Capricorno medici

nam sumere nocet. Similiter in aquario. In piscibus uero prodest. Quæ uero membra in quouis signo unusquisq; habeat Planetarum, & si scitu necessarium, est tamen narratu prolixum. Neq; uero in purgatione alui latêre nos debet Ptolemæi præceptum: Medicinam accipere purgatoriam, quando luna est in cancro, piscibus, scorpione, probamus: præsertim si dominus signi tunc ascendẽtis applicet se Planetæ sub terra currenti. Sin autem ascendentis dominus coniungatur interea supra caput cum Planeta medium tenente cœlum, nauſea statim & uomitus incitabitur. Denique concludamus cum Galeno, Astrologiã esse medico necessariam, qui de criticis diebus disputans ait, certam esse Aegyptiorũ sententiam, id est Lunam significare affectionem indies, ægrotantis atq; sani, adeò ut si miscantur cum Luna radij Iouis & Veneris, bene afficiatur uterq;: Sin autem Saturni uel Martis, contraria ratione se habeat. Sed latius iam peruagati, ad spiritum tandem & uitam atq; Gratias reuertamur.

Ptolemæi præceptũ.

Quibus modis spiritus noster haurire plurimum possit de spiritu uitáq; mundi. Et qui Planetæ spiritũ procreent atq; recreent. Et qualia ad unumquenq; Planetam pertineãt. Cap. XI.

HVc uero tendunt hæc omnia, ut spiritus noster rite per naturalia præparatus atq; purgatus accipiat

accipiat ab ipso uitæ mundanæ spiritu plurimũ per radios stellarũ opportune susceptos. Vita quidem mundi omnibus insita, propagatur euidẽter in herbas & arbores, quasi pilos sui corporis atq; capillos. Tumet insuper in lapides & metalla, uelut dẽtes & ossa. Pullulat quoq; in uiuẽtes conchas, terræ et lapidibus adhærentes. Hæc enim nõ tam propria q̃ ipsa communi totius uita uiuũt. Quæ sanè cõmunis uita, multo etiã magis super terrã in corporibus uiget subtilioribus tanquã propinquioribus animæ. Per cuius uigorem intimum, aqua, aër, ignis uiuentia sua posidẽt, atq; mouẽtur. Vita hæc aërem ignemq; etiã magis quàm terrã & aquã fouet agitatq; perpetuo motu. Et deniq; cœlestia corpora quasi mũdi caput uel cor, uel oculos quãmaxime uegetat. Vnde per stellas uelut oculos, radios nõ uisibiles solũ, sed etiam uisuales usquequaq; diffundit. Quibus more Struthij, ut diximus alibi, inferiora cõspicit, fouetq; uidendo, imò etiã ita tangẽdo generat & format omnifariã atq; mouet. Igitur ad motũ nitentis aquæ, sereni quoq; aëris, ignisq; moderate distantis, atque cœli, motum mundanæ uitæ susципies, si ipse quoq; leniter & fermè similiter moueris, quosdã prouiribus gyros agens, uertigine deuitata, cœlestia lustrans oculis, mente uersans. Item frequenti quodã usu plantarum, similiterq; uiuentiũ potes è mundi spiritu plurimũ haurire: Præsertim si adhuc uiuentibus re-

centibusq; & matri terræ quasi adhuc hærentibus nu-
triaris, atq; foueris. Inter plantas suauiter redolen-
tes, uel saltem non male olentes uerseris quam frequen-
tissime. Omnes enim herbæ, flores, arbores, poma re-
dolent, quamuis sæpe minus animaduertas. Quo qui-
dem odore quasi flatu spirituq; uitæ mundanæ te un-
diq; recreant atq; uegetant. Spiritum inquam tuũ odo
ribus eiusmodi natura simillimum, perq; spiritũ me-
dium inter corpus & animam, facile corpus quoq; re-
ficiunt, & animæ mirifice prosunt. Inter hæc diutissi-
me diurno tempore sub diuo uersaberis, quatenus tu-
to uel commode fieri potest, in regionibus altis & sere
nis atq; temperatis. Sic enim Solis stellarumq; radij
expeditius puriusq; undiq; te contingunt, spiritumq;
tuum complẽt mundi spiritu per radios uberius emi-
cante. Præterea naturalis ipse motus aëris, qui perpe
tuus est in orbem, quamuis ob lenitatem suam, consue
tudinemq; diuturnam uix percipiatur ab ullo, te die
sub diuo deambulantem, habitantemq; in patentibus
editisq; locis libere lambit, penetratq; pure, ac motũ
uigoremq; spiritui tuo mundanum mirifice præstat.
Dixi equidem die. Compertũ enim habemus noctur-
num aërem esse spiritibus inimicum. Conferet autem
diurni usus, præsertim si plurimum in aperto deambu
lans, deuites primo quidem nimiam aëris intemperiẽ.
Deinde frequẽtius moueris in eo, quando præter tem
periem

periem & serenitatem eius, stellarũ positio magis est hominibus salutaris. Itẽ si loca eligas præ cæteris odorifera, per quæ situm quotidie mutes, et ipse quasi continue, & leniter moueari. Mutare locũ quamuis semper cum delectu præcepi, quoniam bona cœlestiũ & uniuersæ naturæ apud nos sunt rebus locisq; alijs passim atq; alijs distributa, quibus deniq; omnibus est fruendum. Mitto quod uarietas tædium prohibet, spiritibus inimicum, propriumq; Saturno: Voluptatem uero affert, per quam (ut ita dixerim) Venus ipsa uoluptatis amica uenit in spiritum: Atq; quod eius officiũ est, hunc statim ingressa propagat. Summatim uero si quis consideret paradisum, et Pomi uitæ usum apud Moysen: Item similem uictum à Platone positum in Phædone, & quæ Plinius de populis ait odore uiuentibus, intelliget esse uera quæ dicimus. Sed ad naturam spiritus descendamus. Spiritus quidem qualitas est proculdubio Iouia, cuius tẽpore nobis infunditur. Est & Solaris: Iupiter enim hunc infundit, quatenus ingentẽ Solis in se tẽperat potestatẽ. Item alia quoq; ratione Iouia est, quoniã calida est & humida, & calore abundat potius quàm humore, nascituráq; sanguine, & uapor quidam sanguineus appellatur. Rursus quoniam feruet, et subtilis est admodũ atq; lucens, oriturq; à corde, Solaris proculdubio iudicatur. Habet & quodammodo Veneream in se uirtutem. Nam mo-

Grata uarietas.

Lib. 7. cap. 2.

tu Venereo prorsus exundat, profluit, transfertur, prolemq; propagat, ad uoluptatem cuiuslibet sensus se dilatat, refugitq; dolorem. Summatim uero spiritus quatenus corpori ad uitam & motum propagationemq; conducit, Iouius, Venereus, Solaris existimatur. Quatenus animo ad sensum imaginationemq; ministrat, Solaris Mercurialisq; censetur, & ubiq; Mercurialis existit. Quandoquidem adeò mobilis est & tam facile conuertibilis, atq; formabilis, Saturni, Martis, Lunæ, sanus cõmuniter spiritus nõ multum habet. Alioquin ex illo sæpe stupidus, ex hoc furiosus, ex hac obtusus quodã modo foret. Quamobrẽ Lunaria quidem uelut crassiora simulq; humidiora à subtili & uolatili natura spiritus sunt admodum aliena. Quæ uero Saturnalia multum, atq; nimium Martialia sunt, quasi uenena sunt, spiritui naturaliter inimica. Illa quidem ob extremam frigiditatem atq; siccitatem: hæc autem ob siccitatem, caloremq; edacem. Iouia igitur & Solaris in primis, deinde Mercurialis & quodam modo Venerea, spiritus natura censetur. Distinctione uero præcipua, spiritus quidem naturalis Ioui proprie dedicatur, uitalis autem Soli, animalis uero Mercurio. Quando igitur res postulat aliquẽ è tribus spiritum adiuuare, patrono tunc suo infortunato, uel debili, non facile clientulo succurrere poteris. Difficilime uero spiritui animali, dum Mercurius infeliciter

Spiritibus cõfortandis sub suis Planetis dare operam, bene cedere.

rit affectus. Qui tantam in animali spiritu autoritatem habet, ut caduceo quodã suo animos tum consopire, tum suscitare dicatur, id est suo quodam aspectu sic aut aliter se habente obtundere ingenium, uel acuere, debilitare, siue corroborare, uexare uel sedare mirifice possit. Tu igitur quoties spiritum aliquem studes excolere, non modo patronum suum obseruabis fortunatum atque potentem, sed etiam Lunam eliges ad hunc opportune directam. Nõ creatur autem neq; recreatur aliquando proprie per influxum Saturni solum substantia spiritus, sed semper ab externis ad intima, & sæpe ab imis reuocatur ad summa. Vnde ad secretiora & altiora contemplanda conducit. Potest tamen & si raro, uis Martis atq; Saturni spiritui tanquam medicina prodesse, uel calefaciendo quĩ opus fuerit, & excitando atq; dilatando, uel uicissim nimis uolatilem coërcendo. Per ea uero potissimum quæ quatuor illis Planetis consentanea sunt, creatur natura spiritus atq; recreatur. Verum si ad Solaria quælibet ualde, & absq; delectu declines, exacues illum, & exiccabis tandem atq; dissolues. Si similiter ad Venerea, liquefacies paulatim, uel obtundes. Si confidas tantum Mercurialibus, parum admodum inde proficies. Erit igitur operæpretiũ, Iouialibus uti quamplurimum, eisq; reliqua mediocriter admiscere, ac frequẽtius uti rebus, quæ uel his omnibus æque sint com-

munes, uel propriæ Ioui. Nã hæ quoq; omnibus quodammodo sunt cõmunes. Communiter autem ad hos omnes attinet, quæ substantiam habẽt, nec igneam nimis, nec prorsus terream, nec simpliciter aqueã, nec acutissimam, nec obtusissimam qualitatem, sed mediocrem & tactu lenem, & quodammodo mollem, uel saltem non duram, siue asperam, item gustu quodam modo dulcem, olfactu suauem, uisu gratã, auditu blandam atq; iucundam, cogitatu lætam. Dulcedo igitur quædam saporis, et gratia his omnibus est communis. Si dulcedo quasi aquea est, & simul pinguis, ad Venerem magis attinet: Si quasi insipida, uel aliquantũ austera, potius ad Mercurium. Atq; hæc spiritui nõ multum prosunt, necessaria tamen sunt interdum, ad hebetandum nimium eius acumen. Si dulcedo manifesta sit atq; subtilis, & paulum habeat styptici acutiq; saporis, Iouialis proprie iudicatur. Cui congruit substantia dulcis amygdalæ, pinei nuclei, auellanæ, pistacij, amidi, glycyrrhizæ, passularum, uitelli oui, carnium gallinacei pulli, fasianarum, pauonũm, perdicum, similiumq;. Item radicum been, atq; enulæ. Rursum uini odoriferi, clari, aliquantum dulcis, & styptici, sacchari candidissimi, tritici albissimi. Ad Iouem pertinet etiã manna, si modo myrobalani infusa uirtute firmetur. Alioquin non minus ad Venerem attinet quàm ad Iouem. Hæc est utica: substantia dulcedoq; Iouis pro-

uis propria, quæ sanè spiritui creando & recreando ante omnia confert. Iouia uero plurimũ sunt omnia, quæ in libro De longa uita diximus, & seruare iuuentutem, & senibus salubria fore. Sin autem dulcedo ad modum pauca sit, multúmque acuti stypticiq; habeat. uel etiam nonnihil amari, Solaris esse censetur. Similis quædam ratiò est & distinctio de odoribus. Hi enim saporũ germani sunt. Similis etiam de coloribus. Colores sanè aquei, albi, uirides, aliquantum crocei, similes uiolarum, rosarum, liliorum coloribus, necnõ odores ciusmodi Venerem referunt, & Lunam atq; Mercurium. Colores uero saphyrij, qui etiam dicuntur ærei. Item purpurei pleniores, aureiq; argẽto mixti, & perpetuò uirides, Iouem. Ardentes autem crocei, aurei, puri, purpurei, clariores, Solem. Quilibet uero colores si uiui sint uel saltem sericij, magis stellares existunt. In metallis quoq; & lapidibus atque uitris propter cœlestem similitudinem sunt potentes. Sed ut redeamus ad Iouem, sapor & odor eius quasi est, qualis in aureo pomo persico, similiq; pyro, uel aranceo, & uino maluatico leuiore, leuiq; uernaceo. Qualis in uiridi zinzibere, uel cinnamomo, uel dulci marathro, uel doronico, si hæc plurimo saccharo condita gustentur. Nam quatuor hæc, & nux muscata recens, sola si sunt, potius Solaria sunt, Solaris & chariophylus & muscus, sed odoratu non gustu, nõ aspectu. Ambra So

laris plurimum atq; Iouia. Crocus in omnibus est Solaris, tametsi color eius et odor apud Astrologos omnibus gratijs dedicatur. Sapor autem ad Solem proprie pertinet. Deniq; omnia odorifera & aromatica, quatenus odorem gratiũ ferunt, ita ad Iouem Veneremq; & Mercuriũ pertinent ut ad Solem: quãuis inter hæc acutiora magis ad Solem, obtusiora ad Venerem Mercuriũq; potius. Ad Iouem proprie temperata, olfactu, gustu, auditu, uisu, tactu. Soni quinetiã cantusq; grati, blandiq; ad gratias omnes spectant atq; Mercuriũ: Minaces aũt admodũ atq; flebiles Martem præferũt et Saturnum. Neq; uero mireris nos multũ coloribus, odoribus, uocibus attribuere. Nam sapores quidẽ ad spiritũ præcipue pertinent naturalem, odores autẽ potius ad uitalẽ animalemq;: colores, figuræ, uoces, ad animalẽ. Motus quoq; animi uel lætus, uel mœstus, uel constans spiritũ ad similitudinem suam agitat uehementer. Animalem primo, per hunc uitalem, per hunc insuper naturalem. Spiritus tandem omnis, quia ob naturã quodammodo igneam, aëriamq; omnino et lucidã atq; mobilem similis est luminibus, ideoq; coloribus et uocibus aëreis, & odoribus motibusq; animi, ideo per hæc subitò in utranq; partẽ mouetur atque formatur. Et qualis euadit ipse talem uicissim efficit quodãmodo affectũ animi et omnino corporis qualitatẽ. Deniq; cũ primũ per illa quæ gratiarum propria sunt, opportune gra-

tijs

ijs est expositus, utpote qui & naturaliter illis consentaneus erat, statim per illarũ radios tũ ubiq; uigentes, tũ ipsi germanos, mirifica reportat munera gratiarũ.

Quod res naturales atq; etiã artificiosæ habent uirtutes à stellis occultas, per quas spiritum nostrũ stellis eisdẽ exponunt. CAP. XII.

QVum uero dicimus spiritũ exponi gratijs per illa quæ sunt gratiarum, non solum per qualitates quæ uidentur, audiuntur, odorantur, gustantur, sed etiã per illas quæ tanguntur accõmodari putamus. Memento igitur calidum in primo gradu Iouis esse: In secundo Solis cum Ioue: In tertio Martis cum Sole: In quarto Martis. Frigidum in primo Veneris: In secundo Lunæ: In tertio Lunæ cum Saturno: In quarto Saturni. Humidũ in primo Mercurij cum Ioue: In secũdo Veneris cum Luna: In tertio Lunæ cum Venere: In quarto Lunæ, quando Veneri Mercurioq; conijũgitur. Siccũ in primo Iouis: In secũdo Mercurij cũ Sole: In tertio Solis cũ Marte: In quarto Martis cum Saturno. Summatim ex qualitatibus Planetarũ, quas Ptolemæus describit ĩ Quadripartito, colligimus harmoniã ex cunctis conflatã ad calorẽ humoremq; declinare. Calor enim Martis ingens atq; Solis, & temperatus Iouis ingentẽ superat Saturni frigiditatẽ, & Veneris Lunæq; exiguam, ita ut calor ibi frigus excedat.

Singulorũ graduũ atque eorundem partes ꝓprios sortiri Planetas.

Item humiditas Lunæ Veneriſq; plurima & propinqua nobis atq; temperata Iouis, ſiccitatẽ Saturni Martiſq; multam ſuperat, & temperatam Solis. Calor igitur humorq; frigori ſiccoq; dominantur atq; ſimiliter calor humori. Quẽadmodũ in ſani corporis homine ad cœleſtem conſonantiã temperato ex calore & ſiccitate cordis, item calore & humore iecoris, rurſum frigore & humore cerebri coaleſcit complexio quædam ad calorem humoremq; uergens, mediocriter calore regnante. Calor enim cordis & iecoris, frigus cerebri ſuperat. Item humor iecoris atque cerebri ſiccitatem cordis excedit. Neque uero prætermiſſum à nobis uelim, talem exiſtere ex ſtellis fixis harmoniã cunctis cõmunem, qualem diximus ex Planetis. Hos enim illis ſimiles Aſtrologi putant. Quorſum hæc? Vt memineris ſpiritum corpusq; noſtrum per temperiem quandam ad calorem humoremq; uergentem, uel naturæ conſtantem, uel arte quæſitã, accõmodari poſſe cœleſtibus, ſibiq; cœleſtia uendicare. Neque tamen dicimus ſpiritum noſtrum cœleſtibus duntaxat, per qualitates rerum notas ſenſibus præparari, ſed etiã multoq; magis per proprietates quaſdã rebus cœlitus inſitas, & ſenſibus noſtris occultas, rationi uix deniq; notas. Nã quum proprietates eiuſmodi, earumq; effectus elementari uirtute conſtare non poßint, conſequens eſt à uita ſpirituq; mundi per ipſos ſtellarũ radios ſingulariter proficiſci

proficiſci, ideoq; per eas ſpiritum affici quamplurimũ atque quamprimũ, cœleſtibusq; influxibus uehementer exponi. Hac utiq; ratione ſmaragdus, hyacinthus, ſaphyrus, topazius, rubinus, unicorni cornu, præcipue uero lapis bezaar apud Arabes appellatus, occultis gratiarum proprietatibus prædita ſunt. Et idcirco non ſolum intus aſſumpta, ſed etiam ſi carnẽ tangant; ibiq; calefacta uirtutem ſuam promant, uim inde cœleſtem ſpiritibus inſerunt, qua ſe contra peſtem tuentur atque uenena. Quod autem hæc ſimiliaq; tale aliquid agant uirtute cœleſti, id argumento eſt, quia etiam exiguo pondere ſumpta non exiguum habent in agendo momentũ. Quod elementari qualitati uix unquam eſt cõceſſum, igni uidelicet ualde cœleſti. Materialis enim uirtus ut agat multum, materiam deſiderat multam. Formalis autem, etiam quũ minima materia ualet plurimum. Simili uirtute in primis phœbea Pæonia carnem tangens, cõtra caducum morbum ſpiritus armat uapore ad eos intus infuſo. Simili corallus & chalcidonius aduerſum atræ bilis illuſiones, Iouis præcipue Veneriſq; uirtute: cæteraq; ſimiliter. Eiuſmodi quadam proprietate myrobalani iuuentutem ſeruãt, acuuntq; ſenſus, & ingenio proſunt atque memoriæ, propter Iouem in primis Saturni temperatorem, atq; Mercurii ſenſus amicum. Quam quidem arborem forte aliquis in paradiſo ad uitam prorogandã extitiſſe putabit.

Pæoniam morbo comitiali mederi.

Mercurio lapidem Achatem consecrant. Vnde Physici conueniunt ad facundiam uisumq; & contra uenena ualere. Serapio scribit eum qui hiacynthum uel ex eo sigillum gestat, esse à fulgure tutum, atque hanc uirtutem eius esse latißime diuulgatã: quam si habet, ab Ioue putamus habere. Lapis Aetites uel aquilinus habet à Lucina, id est Venere atq; Luna, ut admotus uuluæ, partũ mox & facilime citet. Quod Rasis confirmante Serapione frequenter se dicit expertum. Forsan & à Phœbo qui trãsfixit Pythonẽ, Cretæa Dictamus habet, ut & uenenosis obsistat, & ferrum è uulnere trahat. Solis uirtute zinziber infusum epulis arcet syncopim. Sentiana canis rabiem sedat, fugatq; serpentes. Berbena uaticiniũ præstare fertur lætitiamq;, & expiationes, & uisum. Ruta & zedoaria contra uenena theriacã agunt. Thus uitalem et animalem spiritũ aduersus hebetudinem, obliuionẽ, timorem fulcit. Saluiq; uero mentaq; uirtute Iouis, illa quidem paralysim fugat, hæc uel odore roborat animũ. Eadem uirtute Pentaphyllon resistit uenenis, eiusq; foliũ bis quotidie unũ uino bibitũ curat Ephimerã: tria, tertianam: quatuor uero quartanã. Hac herba sacerdotes antiqui propter puritatem suã in purificationibus utebantur. Agnus castus potestate Saturni Venereũ sistit motum. Iaspis uero sanguinẽ. Mirabiles autẽ prouenire solent effectus, ubi occultæ proprietati proprietas seruit elementaris,

uelut

velut in myrobalano ad spiritũ corpusq; firmandum. Nõ solum uirtus illa cœlestis agit, sed etiã styptica multum: nec parum aromatica uirtus, quæ putrefactionem dissolutionemq; mirifice prohibet, spiritumq; corrobo rat. Iam uero ut crocus petat cor, spiritũ dilatet, prouocet risum, non solum occulta Solis uirtus mirabiliter efficit, sed ad idem quoq; cõducit ipsa natura croci subtilis, amplificabilis, aromatica, lucida. Quod autẽ de simplicibus dico, de compositis similiter dictũ intelligi uolo. Dic age theriaca quomodo contra uenenũ nobis opituletur? Non educit illa uenenũ. Astringit enim aluum, nõ mutat omnino tam subito ueneni naturã. Non enim hæc adeò debilis est atq; mutabilis, sed spiritũ uitalem potius ualde tenuem & mutabilem, subito cõformi quadã ad ipsum proportione corroborat usq; adeò, ut ipse iam ualidus tanquã agens, unà cum theriaca ue lut instrumento, partim superet uenenum, partim mutet, partim à præcordijs arceat. Sed quanam proportione siue uirtute id efficit theriaca? Iouiali simulatque Phœbea, quam ex cõmixtione multarum rerum secundum certam proportionẽ inuicem confusarũ sibi uendi cauisse uidetur. Est autẽ in ea uirtus triplex. Hæc ipsa inquam cœlestis, quã modo dicebam. Item cœlestis alia prius in herbis aromatisq; proprietas, quibus electis ipsa rite componitur, quæ uirtuti prius dictæ submiuistrat ad idem. Est insuper alia uirtus in pleriſque

Theriacæ specifica & innata proprietas.

partibus eius, elemẽtaris potius quàm cœlestis. Verũ tamen talis, ut spiritui muniendo conducat, stypticam dico & aromaticam qualitatem. Illa quidem spiritum firmat, ista fouet. Mirabilẽ ergo theriaca uim nacta est contra properantem senectutem atq; uenenum, tribus uidelicet in ea uirtutibus ad idem pariter conspirantibus. Quarum una quidem est cœlestis, per artificiosam acquisita cõmixtionem. Alia cœlestis iterũ, sed partibus eius naturaliter insita. Alia prorsus elementaris. Sed illa quam prius dixi, cœlitus acquisita, multo etiam foret admirabilior, si non solum proportione Iouia Solariq;, & ex rebus eiusmodi conflaretur, sed etiam opportunitũ ad hoc, obseruatione cœlestium, tempus eligeretur. Nam quemadmodũ corpus se habet ad locum atq; tempus, ita motus & actio se habet ad tempus. Sicut ergo certa paßim corpora eorumq; formæ certis & locis & temporibus coalescunt atq; seruantur, sic & propriæ quædam actiones ex proprijs quibusdam temporibus efficaciã nanciscũtur, Idq; in Alcibiade significat Socrates, & Proclus explicat. Quod sanè Pythagoras animaduertens, ipsum bonum perfectionemq; rerum, opportunitatem cognominauit. Primum nanq; principium sic apud Pythagoram & Platonem omnium est mensura, ut alijs corporibus actionibusq; alia loca distribuerit atque tempora. Vnde sicut res quædã non alibi quàm hic, nec aliâs quàm tunc

theriacæ cultates.

propriæ

proprię naſcuntur feliciter & coaleſcunt, atq; ſeruantur: ſic & materialis actio, motus, euentus talis, aut talis, nõ aliâs efficaciam ſortitur, effectumq; perfectum, quàm quando cœleſtiũ harmonia ad idem undiq; conſonat, quæ ſanè harmonia tantam habere poteſtatem exiſtimatur, ut non ſolum agricolarum laboribus atque medicorum artificijs per herbas aromataq; conflatis, ſed etiam imaginibus, quæ apud Aſtrologos ex metallis lapidibusq; fiunt, uirtutem ſæpe mirificam largiatur. Sed imagines caput iam proprium exigunt.

Quantum uero ad horas pro actionibus & operibus eligendas pertinet, plurimũ confirmatur à Ptolemæo, ubi ait in Centiloquio: Qui eligit quod melius eſt, nihilo differre uidetur ab eo qui habet hoc ex natura. Quibus in uerbis, tum cœleſtiũ, tum arbitrij electionisq; noſtræ poteſtatẽ confirmare uidetur. Albertus quoque Magnus inquit in ſpeculo: Non enim libertas arbitrij ex electione horæ laudabilis coërcetur: ſed potius in magnarũ rerum inceptionibus electionem horæ contemnere, eſt arbitrij præcipitatio, nõ libertas. Ptolemæus

De uirtute imaginum ſecundum antiquos, atq; Medicinarũ cœlitus acquiſita.

CAP. XIII.

PTolemæus ait in Centiloquio, rerum inferiorũ effigies uultibus cœleſtibus eſſe ſubiectas, antiquosq; ſapiẽtes ſolitos certas tunc imagines fabricare,

quando Planetæ similes in cœlo facies, quasi exemplaria inferiorũ ingrediebãtur. Quod quidem Haly comprobat ibi dicens: Vtilem serpentis imaginẽ effici posse, quando Luna serpentem cœlestem subit, aut feliciter aspicit. Similiter scorpionis effigiem efficacẽ, quando scorpij signum Luna ingreditur, ac signum hoc tenet angulũ ex quatuor unum. Quod in Aegypto suis temporibus factũ ait, seq; interfuisse, ubi ex sigillo scorpionis in lapide Bezahar, ita facto, imprimebatur thuri figura, dabaturq; in potũ ei, quem scorpius ipse pupugerat, ac subito curabatur. Quod quidẽ utiliter effici Hahamed physicus affirmat, confirmante Serapione. Præterea narrat Haly, notum illic sibi uirũ sapientem industria simili fecisse imagines quæ mouerentur, qualem effectam nescio quomodo legimus ab Architta. Quales & Trismegistus ait, Aegyptios ex certis mundi materijs facere consueuisse, & in eas opportune animas dæmonum inserere solitos, atq; animã aui sui Mercurij: Item Phœbi cuiusdam, & Isidis Osyridisq; sic instatuas descendisse profuturas hominibus, uel etiam nocituras. Huic illud simile: Prometheum figmento quodam luteo, uitã rapuisse, lucemq; cœlestem. Magi quin etiam Zoroastri sectatores, ad euocandum ab Hecate spiritum, utebantur aurea quadam pila characteribus insignita cœlestium: Cui & saphyrus erat insertus, et scutica quadam facta tauri corio uertebatur, atque interim

terim excantabant. Sed cantiones equidem libenter ob mitto. Nam & Pſellus Platonicus eas improbat atque deridet. Hebræi quoq; in Aegypto nutriti, ſtruere uitulum aureum didicerunt, ut eorundem Aſtrologi putãt ad aucupandũ Veneris Lunæq; fauorem, contra Scorpionis atq; Martis influxum Iudæis infeſtum. Porphyrius quoque in epiſtola ad Anebonem, imagines efficaces eſſe teſtatur, additq; certis quibuſdã uaporibus quia à proprijs ſuffumigationibus exhalabant aërios dæmonas inſinuari ſtatim conſueuiſſe. Iamblichus in materijs quæ naturaliter ſuperis conſentaneæ ſint, & opportune ritéq; collectæ undiq; conflatæq; fuerint, uires effectuſq; non ſolum cœleſtes, ſed etiam dæmonicos & diuinos ſuſcipi poſſe confirmat. Idem omnino Proclus atq; Syneſius. Opera quidem ad ſalutẽ mira, quæ à Medicis in Aſtrologia peritis, per res ex multis compoſitas, id eſt pulueres, liquores, ungenta, electuaria fieri poſſunt, probabiliorẽ in ſe rationẽ & notiorem quàm imagines habere uidentur: Tum quia pulueres, liquores, ungenta, electuaria opportune confecta cœleſtes influxus facilius citiusq; ſuſcipiunt quàm materiæ duriores, ex quibus imagines fieri conſueuerũt: tum quia uel aſſumuntur intus affecta iam cœlitus, & in nos conuertuntur, uel ſaltem admota foris inhærent magis, & deniq; penetrant: tum etiã quoniã ex uno quodã dunta xat, aut perpaucis imagines cõſtruuntur. Illa uero ex

quamplurimis conflari pro arbitrio possunt. Vt si centum Solis Iouis uc dotes per centum plantas & animalia similiaq; sparsæ fuerint, componere simul hæc centum tibi comperta possis, et in unam conficere formã, in qua Solem fermè Iouemq; totum iam uidearis habere. Scis profecto naturã inferiorem nõ posse uno quodam capere cunctas superioris naturæ uires, ideoq; illas per plures apud nos naturas esse dispersas, commodiusq; per opera medicorum atque similia, quam per imagines colligi posse. Proinde imagines ex ligno confectæ uim forte paruam habent. Nam lignum et forsan durius est ad cœlestem influxum facile capiendum, & minus tenax si acceperit, retinendum, & omnino post quàm ex matris terræ uisceribus est euulsũ, paulò post fermè totum amittit mundanæ uitæ uigorem, & facile in qualitatem aliam transmutatur. Lapilli uero atq; metalla, & si ad accipiendum cœleste munus duriora uidentur, diutius tamen retinent, quod confirmat Iamblicus, si acceperint. Sua nẽpe duritia, uestigia quoq; donaq; uitæ mundanæ post euulsionem diutissime continent, quæ quondam hærentia terræ possederant. Quamobrem ob hoc saltem aptæ materiæ ad capienda tenendaq; cœlestia iudicantur. Est & probabile qđ libro superiore dixi, res adeò speciosas non posse sub terra conflari, nisi maximo quodam conatu cœli, atq; durare in eis impressam semel ex conatu uirtutem.

Nam

Nam in his coquendis cogendisq; diutißime cœlum elaborauit. Verũ quũ nequeas facile eiusmodi plura componere, cogeris diligenter exquirere, quod metallum inter cætera in ordine sit alicuius stellæ potißimum, quiue lapis in ordine summus, ut saltem in uno quodã totius generis ordinisq; supremo, reliqua pro uiribus cõprehendas, atq; eiusmodi susceptaculo cœlestia huic consentanea mutueris, ceu si exempli causa in ordine Solari, sub homine Phœbco summũ inter animalia teneat Astur aut gallus: inter plantas balsamum aut laurus: inter metalla aurum: inter lapides carbunculus uel pantaura: inter elementa feruidus aër. Nam ignis ipse Martius esse censetur. Quod autem diximus influxum Solis uel Iouis aut Veneris augendum, intelligimus ratione cõmuni, non tamen illi in cuius genesi aliquis horum interfector apparcat.

De ordinibus rerum à stellis pendentiũ, ut Solarium atq; similiũ. Et quomodo spiritus fiat Solaris. CAP. XIIII.

DIxi equidem alibi desuper ab unaquaq; stella (ut Platonice loquar) seriem rerum illi propriam usque ad extrema pendere. Sub ipso scorpionis corde post ciusmodi dæmonas atq; homines, scorpiũq; animal, collocare possumus etiã herbam Asterion, id est stellarẽ, figura stellæ similem, nocte fulgentẽ, quã

Medici tradunt qualitatem habere roſæ, uimq; contra morbos genitalium mirabilem poßidere. Sub ſerpente uel ſerpentario cœleſti Saturnum ponunt, & quodammodo Iouem. Poſtea dæmonas, qui ſæpe ſerpentũ formas induũt. Similes inſuper homines, ſerpentes, animantes, ſerpentariã herbam, lapidem Draconitem capite draconis natũ. Item cõmuni nomine Serpentinũ. Et præterea quæ in ſequentibus afferam. Sub ſtella Solari, id eſt Syrio Solem primo, deinde dæmonas quoq; phœbeos, quos aliquando ſub leonũ uel gallorũ forma hominibus occurriſſe teſtis eſt Proclus. Homines ſubinde perſimiles beſtiasq; Solares. Phœbeas inde plantas, metalla ſimiliter & lapillos, & uaporem aëremq; feruentem. Simili ratione à qualibet firmamenti ſtella per aliquem Planetam exiſtimant cõtextum rerũ gradatim ſub illius proprietate deſcẽdere. Si igitur (ut dicebam) Solaria omnia per gradũ eius ordinis quemlibet opportune comprehenderis, homines uidelicet tales, uel talis hominis aliquid: Item bruta, plantas, metalla, lapillos, & quæ ad hæc attinent, uirtutem Solis uſquequaq; combibes, & quodammodo naturalem Solarium dæmonum facultatem. Similiterq; de alijs dictum puta. Solares quidem homines ſunt quales antea dixi, & qui aſcendente Leone, Soleq; hunc uel tenente uel aſpiciente naſcuntur, & qui ſub Ariete ſimiliter. Solaris eſt & ſanguis è ſiniſtro eorum bene ua-

Homines qui ſolares

lentium

lentium brachio missus. Phœbeus, crocodilus, astur, leo, gallus, & cygnus, & coruus. Nec alia ratione leo ueretur gallum, nisi quoniam in ordine phœbeo gallus est leone superior. Eadem ratione inquit Proclus Apollineum dæmonem, qui nonnunquam apparuit sub figura leonis, statim obiecto gallo disparuisse. Maxime uero in his animalibus cor est Solare. Arbitror etiam marinum uitulum cœlestis leonis cordi subesse, & hac ipsa ratione corium eius quem cingit nudum fibula eiusdem osse confecta, à renum dolore redimere. Nam contra dolorem eiusmodi solent Astrologi sideris illius influxibus uti. Eadē forte ratione fertur hæc pellis à fulgure nos tueri. Inter plantas palma phœbea est, & in primis laurus, qua uirtute uenenosa repellit & fulgur. Fraxinus quoque simili facultate uenenosa longius arcet. Loton esse phœbeam, rotunda tum folia tum poma testantur, & explicatio foliorum eius die, replicatio uero nocte. Pæoniam phœbeam esse, non solum uirtus indicat, sed & nomen. Ad idem attinent flores & herbæ quæ restringuntur abeunte Sole, redeunte protinus explicantur, & ad Solem continue uergunt. Aurum præterea & lapis Elitis radijs aureis Solem imitans. Lapis item qui Solis oculus appellatur, figuram habens pupillæ, ex qua lumen emicat. Rursum Carbunculus nocte rutilans, uel Pantaura omnes in se lapidum uires cōtinens,

Soli attinentia.

ut aurum metallorũ, & Sol stellarum. Multa deniq; in superioribus nobis significata, unde si modò liceat, sub imperio Solis ex illo sanguine, & animalium illorum cordibus, et folijs fluctibusq; arborum prædictarum: Item floribus atq; herbis & auri foliis, necnon pulueribus lapillorum, electuarium uel ungentum conficere poteris, addito croco, balsamo, calamo aromatico, thure, musco, ambra, ligno aloës, zinzibere, mastice, spica nardi, cinnamomo, doronico, citri cortice, zedoaria, nuce muscata, mace, chariophylis cum melle flauo uel oleo balsamino, masticeo, laurino, nardino, ad cor & stomachum & caput intus aut extra fouendum, ut spiritus inde Solaris euadat. Ex his omnibus, inquam, aut saltem ex pluribus componendum dominante Sole aliquid. Quo etiã sub eiusdem dominatu incipias uti, dummodo & Solaria induas, habites, conspicias, audias, olfacias, imagineris, cogites, cupias. Item imiteris & uita dignitatẽ & munera Solis. Inter Solares homines plantasq; uerseris, laurũq; assidue tangas. Tutius autem ad ualetudinem fuerit, Solaribus admiscere Iouialia simulatque Veneréa. Venereum maxime humiditatem Solaris caloris moderatricem, qualis est aqua succusq; rosarum atq; uiolarũ. Sed medicinas eiusmodi in libro De curandis literatis primum, deinde in libro De uita longa, partim equidem cõposui, partim ab alijs compositas enarraui, partim etiã temperaui.

Solaris spiritus materiæ effectrices.

Item

Item quales herbæ à sole Iouéq; miras cõtra epidemiã & uenenum uires habeant, diximus in libro Cõtra pestem, inter quas Perforata, fugadæmon appellata est. Nec alia facultate quàm cœlestium gratiarum noxios malorum dæmonum uapores à nobis arcere putatur. Et si qua inter herbas alia uel lapillus ut corallus, idẽ uideatur efficere. Herba profecto Lunaris à Mercurio tradita foliis cæruleis atque rotundis, crescente Luna unum quotidie producens folium, decrescente deponens, annos utenti promittit Lunares. Sed iam ad imagines altero quodam exordio redeamus.

De uirtute imaginum secundum antiquos atq; medicinarum. Et quomodo medicinæ sint longe ualidiores quàm imagines. CAP. XV.

SI lapillos quos paulò ante Phœbeos narrauimus, nactus fueris, nihil opus erit imagines eis imprimere. Suspendes itaq; collo comprehensos auro, crocei serici filis, quando Sol sub Ariete uel Leone percurrit, ascenditq;, uel medium tenet cœlum, aspicitq; Lunam. Multo uero potentiores in serie Lunæ lapillos narrat Proclus. Primum quidem Selinitim, qui non modo figura Lunam imitetur, sed & motu, circumeatq; cum Luna. Hũc si forte repereris, & argento circundatũ, argenteo filo collo suspenderis Luna Cancrũ uel Tau

rum ſubeunte, angulosq; tenente ſibi conuenientes ſpiritum inde tuum reddet, poſtremo Lunarem. Dum uidelicet calefactus abs te lapillus ipſe Lunaris uirtutem ſuam tuis aſſidue ſpiritibus inſerit. Alterũ uero recenſet lapillum, Helioſelinon cognomento, qui Solis Lunæq; coniunctæ Soli, naturaliter habet imaginẽ. Hunc ergo quiſquis argento incluſum deaurato ſimilibus collo filis admouerit, quando Luna in domicilio ſuo uel Solis in eodem minuto cum Sole congreditur, ſuosq; teneat angulos, Solarem ſimulatque Lunarem ſpiritũ reportabit, aut ſaltem talem qualis euadit Luna percentrũ copulata Soli. Hic uero tu uides diſperſas Phœbi dotes, uelut Oſyridis membra, ſororẽ eius Phœbem uelut Iſidem congregare. Sed utinam Solarem alicubi lapidem facile reperiremus uel Lunarem, adeò in eorum ordine præpotentem, quemadmodum ſub ſerie Septentrionalis poli Magnetem habemus et ferrum. Solarem profecto ferunt inueniſſe apud Indos Apolloniũ Thyanæum, lapidẽ ſcilicet nomine Pantauram, ignis inſtar micantem, ſub terra paſſus quatuor naſcentem, cui tantum ſpiritus inſitut tumeat, & plerunq; ſcinda tur terra, ubi eiuſmodi lapis concipitur: ita cæteros ad ſe lapillos trahens, ſicut Magnes ferrum. Sed lapis hic Herculeus ad ſe contemplandum uehementius adhuc nos in præſentia rapit. Videmus in ſpecula nautarum indice poli libratũ acum affectum in extremitate Magnete

Pantauræ Apollonius inuentor.

gnete moueri ad Vrſam, illuc uidelicet trahente Magnete. Quoniam & in lapide hoc prævalet uirtus Vrſæ, & hinc transfertur in ferrum, & ad Vrſam trahit utrunq;. Virtus autẽ eiuſmodi tum ab initio infuſa eſt, tum continue Vrſæ radijs uegetatur. Forſitan ita ſe habet Succinũ ad polum alterũ & ad paleas. Sed dic interea, Cur Magnes trahit ubiq; ferrum? non quia ſimile, alioquin & Magnetem Magnes traheret multo magis, ferrumq; ferrum. Non quia ſuperior in ordine corporum, imò ſuperius eſt lapillo metallum. Quid ergo? Ambo quidem ordine Vrſam ſequente claudũtur. Sed ſuperiorẽ in ipſa Vrſæ proprietate gradum tenet Magnes, inferiorem ucro ferrũ. Superius autem in eodem rerum contextu trahit quidem quod eſt inferius, & ad ſe conuertit, uel aliter quomodolibet agitat, aut afficit uirtute prius infuſa. Inferius uicißim cadẽ ad ſuperius infuſione conuertitur, uel aliter agitatur, uel prorſus afficitur. Sic in ſerie Solis inferior homo admiratur ſuperiorẽ. In ordine Iouio uencratur. In Martio timet. In Venereo inferior ad ſuperiorẽ rapitur amoris ardore, deſeritq; ſeipſum. In Mercuriali ſemper hic diſcit, uel perſuadetur ab illo. In Lunari motũ hic ab illo ſæpius exorditur. In Saturnali quietẽ. Ego autẽ quũ hæc explorata hactenus habuiſſẽ admodũ gratulabar, cogitabãq; iuuenis adhuc magneti pro uiribus inſculpere cœleſtis Vrſæ figurã, quando Luna melius illuc aſpiciat,

& ferreo tunc filo collo suspendere. Sperabam equidē ita demum uirtutis me sideris illius compotem fore. Sed quum diutius explorassem, inueni tandem sideris illius influxus, Saturnales esse plurimum atq; Martiales. Accepi à Platonicis malos dæmonas plurimū Septentrionales existere, quod etiam Hebræorū Astronomi confitentur, noxios Martiosq; dæmonas in Septentrione ponentes: Propitios autem & Iouios, in meridie. Didici à Theologis, et à Iamblicho, imaginum fictores à dæmonibus malis occupari sæpius atq; falli. Vidi equidem lapillum Florentiā aduectum ex India, ibi è capite draconis erutum rotundū ad nummi figuram, punctis ordine quamplurimis quasi stellis naturaliter insignitum, qui aceto perfusus mouebatur parumper in rectum, imò obliquum, mox ferebatur in gyrum, donec exhalaret uapor aceti. Existimaui equidē lapillū eiusmodi cœlestis draconis habere naturā, atq; quasi figuram, motum quoq; illius accipere, quatenus per aceti seu uini ualentioris spiritū, draconi illi siue firmamento familiarior redderetur. Hunc igitur qui gestaret, & aceto sæpe perfunderet, uim aliquam forte draconis illius acciperet, qui geminis anfractibus, hinc quidem Vrsam maiorem implicat, inde minorē. Extat & prope Scorpionem serpentarius quasi homo serpente cinctus, manu dextra caput serpentis tenens, sinistra caudam, genibus quasi flexis, capite paulū resupino. Legi equidem

Lapidis ex dracone historia.

equidem magos Persarũ regi consuluisse, ut imaginem hanc lapidi imprimeret Hæmatiti, quem aureo claudere anulo, ita tamen ut inter lapillum atque aurum serpentariæ radicem insereret. Hoc enim anulo gestantẽ contra uenenum morbosq; uenenosos tutum fore, uidelicet si Luna serpentarium aspiciente feceris. Hanc imaginem Petrus Aponensis cõfirmauit. Ego uero, si hãc anulus ille uim habet, arbitror non tam per figuram quàm per materias eiusmodi, & hoc pacto temporeq; compositas sibi cœlitus uendicare. Memento lapillos nascẽtes in animalibus nec inde languẽtibus, ut in draco ne, gallo, hirundine, cæterisq; efficaces existere fermè, ut lapilli in terra nascentes, atq; ad easdem referri stellas, ad quas hæc animalia pertinent. Hinc Alectorius ex uentriculo galli ueteris tractus pollet potestate Solari, per quem Dioscorides ait sæpe compertum esse cum pugnare inuictum, qui lapillum hunc ore gestaret. Idem ait, Chelidoniũ erutum ex hirundine rufum, curare melancholicũ, & amabilẽ idoneumq; reddere. Quod quidẽ habet ex Ioue, per ea quæ diximus, scilicet res ubiq; infra Lunam stellares existere. Confirmatur dictum illud ualde Platonicum, hanc mundi machinam ita secum esse connexam, ut & in terris cœlestia sint conditione terrena, & in cœlo uicissim terrestria dignitate cœlesti, et in occulta mũdi uita menteq; regina mundi, cœlestia insint, uitali tamen intellectua

liq; proprietate simul & excellentia. Per hæc insuper confirmant nonnulli etiam illud magicum, per inferiora uidelicet superioribus consentanea posse ad homines temporibus opportunis cœlestia quodam modo trahi, atque etiam per cœlestia supercœlestia nobis conciliari, uel forsan prorsus insinuari: sed postremum hoc illi uiderint. Verum illud arte quadam rite & opportune in unum plurima colligente fieri posse probabile satis (ut diximus) esse uidetur, tum rationibus quas in superioribus assignauimus, tum quia eiusmodi multa quando apud Medicum & Astrologũ colliguntur, cõtunduntur, cõmiscentur, concoquuntur sub sidere certo, dum ipsa per se ratione concoctionis atq; fermenti, nouam paulatim formã subeunt, hanc ipsam acquirunt certo quodam fomento cœlesti, radijs tunc intus agentibus, ideoq; cœlestem. Metallũ uero uel lapillus quando momento sculpitur, non uidetur nouã accipere qualitatem, sed figuram. Neq; motio illa per debitos digestionis gradus, quos alteratio naturalis atq; generatio solet obseruare, progreditur. Quum uero natura cœlestis tanquã inferioris naturæ regula soleat tenore quodam progredi naturali, & ita progredientibus aspirare, meritò diffidũt pleriq; imagines eiusmodi cœlestem aliquam uirtutem habere. Ego quoq; ambigo sæpius, ac nisi & omnis antiquitas & omnes Astrologi uim mirabilem habere putarent, habere negarem. Negarem equidem

equidem nõ omnino. Opinor enim (nisi quis aliter persuaserit) ad prosperã ualetudinem saltem aliquam habere uirtutem, electæ præsertim ratione materiæ: tametsi multo maiorẽ inesse pharmacis arbitror, & ungentis sidereo fauore cõflatis. Quid uero uoluerim ubi modo dicebam, electæ ratione materiæ, in sequentibus declarabo. Quæ uero ex Magorũ uel Astrologorum opinione ad Plotinum interpretandũ pro imaginibus allegari possunt, deinceps breuiter afferam, si te prius hic admonuero, ne putes probare me usum imaginũ, sed narrare. Ego enim medicinis ad cœlum temperatis non imaginibus utor, atq; ita cæteris quotidie consulo. Tu uero si concedis deum rebus infra Lunã mirabiles inseruisse uirtutes, mirabiliores concede cœlestibus. Præterea si licere iudicas homini ad prosperã ualetudinem inferioribus uti, iudica superioribus quoq; licere, atq; inferiora ad superiorũ normã, sic medicorũ artificio temperare, sicut etiã à deo sunt ab initio tẽperata.

De potestate cœli. De uiribus radiorum unde uim sortiri putentur imagines. CAP. XVI.

IMmensa fermè cœlestiũ magnitudo, uirtus, motio facit, ut omnes omnium siderum radij terræ molem quæ quasi punctum est ad cœlum, momento facilimeq; usq; ad centrum recti penetrent, quod omnes Astrono-

mi confitentur. Ibiq; ut placet Pythagoreis atque Platonicis fortißimi ſint: tum quia recti undiq; centrũ tangunt, tum quia in anguſtum collecti ſunt cuncti. Quorum uehementia, materia ibi terræ ſicca procul ab humore remota prorſus accenditur, accenſaq; extenuatur, atq; diſpergitur per meatus undiq;, & efflat incendia pariter atque ſulphur. Sed ignem hunc putant ualde caliginoſum eſſe, & quaſi incendium quoddam luminis expers, ſicut in cœlo extat expers incendij lumen: ignis autem inter cœleſtem atque infernum, lumen cum feruore coniungit. Putant autẽ ignem è centro ſtantem ignem eſſe Veſtalem: ſiquidẽ Veſtam eſſe terræ uitam numenq; putabant. Ideoq; Veſtæ templũ ueteres in medijs urbibus conſtruebant, ignemq; in medio perpetuum collocabant. Sed ne ulterius peruagemur, cõcludamus iam, ſi ſtellarũ radij totam mox terram penetrant, negari non facile poſſe metallum atque lapillum, quando cælantur imaginibus ſubitò penetrare, ciſq; miras uel ſaltẽ qualeſcunq; imprimere dotes. Quandoquidem & in aluis terræ precioſißima generant. Sed quis neget per hæc radios penetrare? Siquidem aër & qualitas eius, et ſonus minus efficax ſolida tranſit ſubitò, & ſua quadã afficit qualitate. Iam uero ſi duritia radijs obſiſteret penetrantibus lumen, multo citius aërem quàm aquam pertranſiret, & hanc ocyus multo quàm uitrum, & uitrũ ſimiliter quàm cryſtallum.

Veſtæ deæ templa in urbium mediis tullio extructa.

lum. At quũ eodem momento solida, quo liquida cuncta transuerberet, perspicue constat duritiã radijs nullo modo resistere. Atq; idcirco dicent nõ esse negandũ, metalla cœlestiũ radios influxusq; suscipere, atq; etiã conseruare ad tempus tunc sibi cœlitus destinatũ. Conseruare inquam uirtutem quandam ex radiorũ concurrentium contactu creatam. Quid uero, si materia durior hoc ipso quod uidetur obsistere causæ prepotenti magis ictibus se exponit? Sic ensis lignũ sub lana incidit nõ incisa lana. Sic radius ille fulmineus corio quandoq; non læso dissoluit in eo metallum. Quũ uero natura cœlestis nostro hoc igne incõparabiliter sit præstantior, non est putandum radij cœlestis officium esse dũtaxat, quale opus ignei radij manifeste uidemus, scilicet illuminare, calefacere, exiccare, penetrare, extenuare, dissoluere, quæ nostris sensibus notißima sunt, sed multo plures mirabiliores q; uires & effectus habere: alioquin & materia inferior, & caducus sensus cũ diuinitate cœli penitus æquaretur. Sed quis nesciat uirtutes rerũ occultas, quæ speciales à Medicis nominantur, nõ ab elementari natura fieri, sed cœlesti? Possunt itaq; (ut aiunt) radij occultas & miserabiles ultra notas imaginibus imprimere uires, sicut & cæteris inserunt. Nõ enim inanimati sunt, sicut lucernæ radij, sed uiui, sensualesq; tanquam per oculos uiuentium corporum emicantes, dotesq; mirificas secum ferunt ab ima-

ginationibus mentibusq; cœlestium. Vim quoq; uehementissimam ex affectu illorũ ualido, motuq; corporũ rapidissimo, ac proprie maximeq; in spiritũ agunt cœlestibus radijs similimum. Agunt insuper in corpora ucl durissima. Omnia enim hæc ad cœlum infirmissima sunt. Sunt autem in uarijs stellis uariæ quoq; uires & idcirco in radijs earum inter se uariæ. Præterea in radiorum ictibus aliter atq; aliter incidentibus uirtutes diuersæ nascuntur. Deniq; in concursibus radiorũ mutuis aliter atque aliter, & hic aut ibi, & tunc aut aliâs effectis diuersæ subitò uires suboriũtur, multo magis atque citius quàm in alijs atque alijs elementorum qualitatumq; elementalium mixtionibus: multo etiã citius quàm in tonis & numeris apud Musicum aliter & aliter concinentibus. Si hæc diligenter consideraueris, forsitan non diffides, dicent, subitò quodam radiorum iactu uires imaginibus imprimi, atq; ex diuerso iactu diuersas. Nunquid ergo tam citò? Mitto fascinationes repentino quodam intuitu factas, & amores acerrimos statim accensos radijs oculorum, qui & ipsi sunt fascinamẽta quædã, quod in libro De amore probamus. Mitto quàm citò rubens oculus inficiat intuentem, & speculum intuens fœmina menstruosa. Nónne & familiæ quædã apud Illyricos & Triballos iratæ, intuitu homines interemisse ferũtur? Et fœminæ quædam in Scythia idem facere consueuisse? Et Catoble-

Autore Bytho Dyrrachino.

pe re

pe reguliq; serpentes radiorũ ex oculis iactu homines perimunt. Torpedo quoque marina tactu etiã procul per uirgam manum subitò stupefacit. Echinus prætera piscículus grandẽ solo tactu nauem sistere fertur. Phalangia quinetiam in Apulia ictu quopiam uel occulto, spiritũ animumq; repentino stupore permutãt. Quid rabiosius canis facit, uel non apparente morsu? Quid scopa, deinde quid arbutus? Nónne leuissimo tactu uenenum concitant atque rabiem? An ergo negabis cœlestia oculorũ suorũ radijs, quibus nostra contuentur simulatq; contingunt statim miranda perficere? Iam uero grauida mulier tactu statim signat membrũ hominis nascituri, rei desideratæ nota. An uero dubitabis radios aliter alitér ue tangẽtes diuersa cõficere? Quũ & tu helleborum herbam colligens, siue fólium deorsum trahas, siue sursum, hoc subito tactu, causa sis helleboro, ut deorsum educat humores, aut sursum? Nónne ab initio rei cuiusque generandæ cœlestes influxus concoctione materiæ, digestioneq; perfecta nõ tam tempore quàm momento dotes mirificas largiuntur? Nónne suffragante cœli uultu innumerabiles sæpe ranæ, similesq; animantes ex arenis momento prosiliũt? Tanta est in materijs præparatis potentia cœli, tanta celeritas. Deniq; si ignis hoc habet, ut tempore quambreuissimo faciat, quæ cætera longo ob id præcipue qd' est cœlo similimus. Quis nam dubitet, cœlum magnæ

Multo magis id agere potens in prædisposita.

quasi momento perficere, etiam in materia minus parata, sicut flamma solet ingentior? Quid ergo dubitas inquiunt, in imagine construenda fermè similiter agere cœlum? Dices opinor, sicut & ego dicebam, naturales hic alterationis gradus abesse. Qui sanè defectus minuit quidem cœleste donũ, nec tamen penitus auferre uidetur. Nolunt enim Physici ex quolibet metallo uel lapide imaginem fabricari, sed certo. In quo quidẽ natura cœlestis, uirtutẽ olim ad hoc ipsum quod optatur naturaliter inchoauerit, & quasi iamiam perfecerit, ut in sulphure flammã. Quam sanè uirtutem tunc demum perficiat, quando materia hæc per artem sub simili quodam influxu cœlesti uehementer agitatur, et agitata calescit. Itaq; ars suscitat inchoatã ibi uirtutẽ, ac dum ad figuram redigit, similem suæ cuidam cœlesti figuræ, tunc suæ illic ideæ prorsus exponit, quam sic expositam, cœlum ea perficit uirtute qua cœperat. Exhibens quasi sulphuri flammã, sic potentia quædã ad rapiendas paleas cœlitus data succino, quodammodo debilis sæpe per frictionẽ calefactionemq; facta ualidior subitò rapit. Similem uirtutẽ Scrapio scribit datam lapidi Albugedi quasi hyacintho simili. Sed non prius trahere paleas, quàm capilli hoc lapide perfricentur. Sic item lapis ille Iouius Bezaar, id est à morte liberans, quem descripsimus in libro Cõtra pestem, uim ab initio contra uenenum accepit ab Ioue, sed non

usq; adeò

ueſq; adeò ualidam, ut eandem tradere poſſit materijs alijs exercendam. At uero quũ primum ſub Scorpionis cœleſtis influxu figuram ſuperni illius acceperit, perfectam contra Scorpiones ſubitò uim reportare putatur, quam Mꝛſtici cõmunicare ualeat aut thuri. Eadem quoque de hyacintho, topazio, ſmaragdo, cæterisq; ratio eſt habenda, ut fabrica figurarum non alibi efficaciam habeat, quàm ubi materia cum ſtella congruit & effectu, à qua hunc fabcr exoptat accipere. Ac præterea ubi hæc ipſa materia quaſi iam talis eſt ab initio, qualem affectas reddere per figuram. Nullis ergo materijs ad imagines uti conſulunt, niſi his ipſis quæ tibi notæ ſunt, hanc ipſam fermè iam uim habere quam cupis. Lapillorum itaq; uires atq; metallorũ dili gentiſſime perſcrutari iubent, intercaq; meminiſſe inter lapillos quidem Carbunculum in tenebris coruſcantem, atq; Pantauram præcipue Soli ſubeſſe, Sapphirũ Ioui, Smaragdum Veneri, Mercurio, Lunæ. Præterea metalla præter aurum & argentum uix ullam ad hæc habere uirtutem. Tutioremq; in his rationẽ fore, ſi aurum quidem purum ad Solem referas atq; Iouem. Ad illum quidem propter colorem, ad hunc autẽ propter temperatã cõmixtionem. Nihil enim Ioue & auro temperatius: purum uero argentum ad Lunam, ſed ad Iouem ſimulatq; Venerem aurum argento permixtum. Præterea imaginem efficaciorem fore, ſi uirtus in ma-

Formæ imprimendæ aptitudo cũ ſtellis conferenda.

teria eius elementaris conueniat cum ſpeciali eiuſdem uirtute naturaliter inſita, atq; hæc inſuper cum uirtute altera ſpeciali per figurã cœlitus capienda. Deniq; figuras inferiores & formas cœleſtibus cõformari, inde perdiſces, ut aiunt, quod Perſeus truncato Meduſæ capite, futurã nõnullis obtruncationẽ portendere conſueuit, multaq; ſimiliter, et Lunã aliosq; Planetas ſub certis ſignis certa in nobis membra mouere nõ dubitant.

Quam uim habeant figuræ in cœlo atque ſub cœlo. CAP. XVII.

SEd nẽ figuris nimium, forte diffidas, meminiſſe iubebunt, in regione hac ſub Luna elementari, elementarem quoq; qualitatem poſſe quamplurimum, in tranſmutatione uidelicet ad aliquid elementare tendente, Calorem ſcilicet & frigus, & humorem atq; ſiccitatem. Qualitates autem quæ minus elementares materialesúe ſunt, ſcilicet lumina, id eſt colores: numeros quoq; ſimiliter & figuras ad talia forſitan minus poſſe, ſed ad cœleſtia munera, ut putant, ualere permultum. Nam & in cœlo lumina, & numeri, & figuræ, ſunt fermè omnium potentiſſima: præſertim ſi nulla ſit ibi materia, quod Peripatetici pleriq; putant. Sic enim figuræ, numeri, radij, quum non alia ſubſtineantur ibi materia, quali ſubſtantiales eſſe uidentur. Atque quum in ordine rerum mathematicæ formæ phyſicas antecedant,

dant, tanquam ſimplices quidem magis, & minus ege-
næ, meritò in antecedentibus mũdi gradibus, id eſt cœ
leſtibus autoritatem ſibi maximam uendicant, ut non
minus inde fiat numero, figura, luce, quàm elementari
quadam proprietate. Huius quidem autoritatis habe-
tur etiam ſub Luna ſignũ. Qualitates enim ualde ma-
teriales plurimis rerum ſpeciebus ſunt cõmunes, eiſq;
quodammodo permutatis, non uſquequaq; ſpecies com-
mutantur. Figuræ autem numeriq; partiũ naturaliũ,
proprietatem cum ſpecie inſeparabilem peculiaremq;
poſſident, utpote quæ cœlitus unà cum ſpeciebus deſti-
natæ fuerunt. Imò & cum ideis maximã habent in men-
te mundi regina, connexionem. Atq; quum ipſæ nume-
riq; ſpecies quædam ſint, ideis ibi proprijs deſignatæ,
nimirum uires inde proprias ſortiuntur. Ideóque tum
ſpecies naturalium certis figuris, tum motus, & gene-
rationes, & mutationes certis numeris adſtringuntur.
De lumine uero quid dicam? Eſt enim actus intelligen
tiæ uel imago. Colores autem ſunt lumina quædam.
Quamobrem ubi lumina, id eſt colores, figurasq;, &
numeros Aſtrologi dicunt in materijs noſtris ad cœle-
ſtia præparandis poſſe quamplurimum, nõ temere, ut
aiunt, debes iſta negare. Non ignoras cõcentus per nu
meros proportionesq; ſuas, uim habere mirabilem ad
ſpiritum & animũ & corpus ſiſtendũ, mouendũ, affi-
ciendum. Proportiones autem ex numeris conſtitutæ,

Proprietas qualitatum cum ſpecie-bus.

quasi figuræ quædam sunt, uel ut ex punctis lineisq; fa
ctæ, sed in motu. Similiter motu suo se habent ad agen
dum figuræ cœlestes. Hæ nanq; harmonicis tum radijs
tum motibus suis omnia penetrantibus spiritum indies
ita clàm afficiunt, ut Musica præpotens palàm affice
re consueuit. Nosti præterea quàm facile multis miseri
cordiam moueat figura lugentis. Et quantũ oculos ima
ginationemq;, & spiritum & humores afficiat statim
atq; moueat amabilis personæ figura. Nec minus uiua
est & efficax figura cœlestis. Nónne principis in ur-
A minori. *be uultus quidem clemens & hilaris exhilarat omnes?*
Ferox uero uel tristis repente perterret? Quid ergo
cœlestium uultus, dominos omnium terrenorũ, aduer-
sus hæc efficere posse putas? Quippe quum etiam coë
untes ad prolem, plerunq; uultus, non solũ quales ipsi
tunc agũt, sed etiam quales imaginantur, soleant filijs
diu postea nascituris imprimere. Vultus eadem ratio-
ne cœlestes materias confestim suis notis inficiũt. In qui
bus siquando diu latitare uidentur, temporibus deinde
suis emergũt. Vultus autem cœli sunt figuræ cœlestes.
Potes uero facies illic appellare figuras, cæteris ibi sta
biliores: Vultus autem, figuras, quæ magis ibi mutan-
tur. Aspectus quoq; inter se stellarum motu quotidia-
no confectos, uultus appellare potes, similiter & figu
ras. Nam hexagoni, pentagoni, tetragoni nominãtur.
Esto dicet quispiã: Sint ut placet potentißimæ ad effi-
ciendum

ciendum figuræ cœlestes: Verum quid hoc ad figuras imaginum artificio factas? Respondebunt, non id potissimum contendere, ut potentissimæ per se ad agendum sint nostræ figuræ, sed ut paratissimæ ad actiones & uires figurarum cœlestium capiendas, quatenus opportune fiunt dominantibus illis, atque examussim ad illas configurantur. Exigit enim figura illa figuram. Nónne sonante cithara quadam, altera reboat? Ob id tantum, si & ipsa similem figuram habeat, atq; è conspectu sit posita, & fides in ea positæ & intentæ similiter. Quidnam hic efficit, ut cithara subitò patiatur à cithara, nisi situs aliquis et quædam figura conformis? Figura speculi lenis, concaua, nitens cœlo congrua, ob hoc ipsum proprie, munus tantũ cœlitus accipit, ut radios Phœbi in se cumulatissime complectatur, & solidissimum quodq; ad centrum suum è conspectu locatũ, repente comburat. Ergo ne dubites dicent, quin materia quædam imaginis faciendæ, alioquin ualde cõgrua cœlo, per figurã cœlo similem arte datam, cœleste munus, tum in seipsa concipiat, tum reddat in proximum aliquẽ uel gestantem. Non solum uero figura, sed etiã dispositio peruia, quam Diaphanam uocant, inefficax quiddam est, & passiuum suapte natura. Veruntamen quoniam peruia dispositio est in cœlo proprium luminis susceptaculum, ideo ubicunq; sub cœlo, hæc uel est naturalis, uel modo aliquo comparatur, subito præ-

sens cœleste lumen acquiritur atq; etiam conseruatur, ubi unà cum hac uel calor est igneus, ut in flamma, uel est aliquid aërium, aqueumúe simul & glutinosum, ut in noctilucis, & nocticernis, & carbunculis, atq; forsan quodammodo in Camphora. Quid inde sequatur pro imaginibus, ipse reputa.

Quales cœlestium figuras antiqui imaginibus imprimebant. Ac de usu imaginum. CAP. XVIII.

ALiquis autem quæret, quas potißimũ cœli figuras imaginibus imprimere soleant. Sunt enim ibi formæ oculis ualde conspicuæ, & à multis, quales sunt, quasi depictæ, ut Aries, Taurus, similesq; figuræ zodiaci, & quæ sunt extra zodiacum manifestæ. Sunt ibi præterea formæ quamplurimæ, non tam uisibiles quàm imaginabiles per signorũ facies ab Indis & Aegyptijs Chaldæisq; perspectæ, uel saltem excogitatæ Velut in prima facie Virginis uirgo pulchra sedens, geminas manu spicas habens, puerumq; nutriens. Et reliquæ, quales describit Albumasar, cæteriq; nonnulli. Sunt deniq; charactêres quidam signorum & Planetarum ab Aegyptijs designati. Volũt igitur imaginibus omnia hæc insculpi. Vt si quis expectet propriũ à Mercurio beneficium, collocare eum in Virgine debeat, uel saltem ibi Lunam cum aspectu Mercurij. Et imaginem tunc ex stanno conficere, uel argento, in qua totum sit

Virginis

Virginis signum, & character eius characterq; Mercurij. Ac si prima Virginis facie sis usurus, addas etiã figuram, quam in prima facie diximus obseruatam. Similiterq; de cæteris. Postremi quidem imaginum autores, uniuersam earum formam ad cœli similitudinem accepere rotundam. Antiquiores autem, quemadmodum in quodam Arabum collegio legimus, figurã crucis cunctis anteponebant: quia corpora per uirtutem agunt ad superficiem iam diffusam. Prima uero superficies cruce describitur. Sic enim in primis habet longitudinem atque latitudinem. Primaq; hæc figura est, et omnium recta quammaxime, & quatuor rectos angulos continet. Effectus uero cœlestium maxime per rectitudinem radiorũ angulorumq; resultãt. Tunc enim stellæ magnopere sunt potentes, quando quatuor cœli tenent angulos imò cardines, orientis uidelicet occidentisq;, & medij utrinq; cœli. Sic uero dispositæ, radios ita conijciunt in seinuicem, ut crucem inde constituant. Crucem ergo ueteres figuram esse dicebant, tum stellarum fortitudine factam, tum earundem fortitudinis susceptaculum. Ideóque habere summam in imaginibus potestatem, ac uires & spiritus suscipere Planetarum. Hæc autem opinio ab Aegyptijs uel inducta est, uel maxime cõfirmata. Inter quorũ characteres crux unus erat insignis, uitam eorum more futuram significans, eámque figuram pectori Serapidis insculpebant. *Stellarũ uigor maximus.*

Ego uero quod de crucis excellentia fiat apud Aegyptios ante Christum, non tam muneris stellarum testimoniũ fuisse arbitror quàm uirtutis præsagiũ, quam à Christo fuerat acceptura. Astrologos autem qui statim post Christum fuerũt, uidentes à Christianis miranda per crucem fieri, nescientes autem uel nolentes in Iesum tanta referre, in cœlestia retulisse: quanquã considerare debebant per crucem ipsam, absque nomine Iesu miracula minime perpetrari. Conuenire quidẽ imaginibus eam, quia referat fortitudinem Planetarum omniumq; stellarum, forsitan est probabile. Non tamen ob hoc duntaxat ingentem habere potentiã. Posse uero nonnihil unà cum cæteris, quæ necessaria sunt, coniunctam, ad prosperam forsan corporis ualetudinem. Sed ad narrandas aliorum opiniones, ut cœpimus, reuertamur. Saturni ueteres imaginem ad utæ longitudinem faciebant in lapide de Feyrizech, id est Sapphiro, hora Saturni, ipso ascendente atque feliciter constituto. Forma erat: Homo senex in altiore cathedra sedens uel dracone, caput tectus panno quodã lineo fusco, manus supra caput erigens, falcẽ manu tenens aut pisces, fusca indutus ueste. Ad longam uitam atq; felicem Iouis imaginem in lapide claro uel albo. Erat homo sedens super aquilam uel draconem coronatus, hora Iouis ipso in exaltatione sua feliciter ascendẽte, croceam induto uestem. Contra timiditatem hora Martis

Veterũ in sculpendis imaginibus Planetarũ ritus.

imagines

imagines fabricabant prima Scorpionis facie oriente, Martem armatum & coronatum. Ad morbos curandos fingebant Solis imaginem in auro hora Solis, prima facie Leonis ascendente cum Sole. Regem in throno, crocea veste, & corvum Solisq; formam. Ad lætitiam roburq; corporis, Veneris imaginem puellarem, poma florescq; manu tenentem, croceis & albis indutã, hora Veneris, prima facie Libræ, uel Piscũ, uel Tauri ascendente cum Venere. Imaginem Mercurij ad ingenium & memoriam, prima facie Geminorũ. Item contra febres sculpebatur Mercurius, homo tela manu tenens, hora Mercurij surgente Mercurio, sculpebant hanc in marmore. Subinde materiæ cuipiam imprimebant languẽtibus assumendæ. Hinc omne genus febriũ curari dicebant. Imaginem Lunæ ascendente prima facie Cancri ad augmentũ. Forma Mercurij: Homo sedens in throno galeratus cristatusq;, pedibus aquilinis sinistra gallum tenens aut ignem, alatus, aliquando super pauonem, dextra tenens calamum, veste uaria. Luna, puella pulchra cornuto capite super draconem uel taurum, serpentes supra caput & sub pedibus habens. Ad curandũ calculum, genitaliumq; dolores, et ad sanguinem astringendũ, imaginẽ hora Saturni, surgente tertia facie Aquarij cũ Saturno. Item Leonem auro imprimebant, lapidem in formã Solis pedibus reuoluentem, hora Solis primo gradu facici secundæ Leonis ori

ente. Hanc expellendis morbis profuturam existimabant. Ad renũ morbos similem faciebant, quando Sol in corde Leonis cœlum mediũ obtineret, à Petro Aponensi comprobatã & experientia confirmatã, sed hac conditione, ut Iupiter aut Venus medium aspiciat cœlum, Planetæ uero noxij cadant, infortunatiq; sint. Ac cepi à Mengo physico præclaro eiusmodi imaginẽ factam Ioue ibidem coniuncto cum Sole liberauisse Ioannem Marlianum Mathematicum nostro seculo singularem, à pauore quo sub tonitru affici cõsueuerat. Præterea ad firmandam sanitatẽ & ueneficia deuitanda, imaginẽ ex argento fingebant hora Veneris, Luna angulos obtinente, ac Venerem feliciter intuente, dũmodo dominus sextæ domus Venerem aspiciat, aut Iouem trino quodam intuitu, uel opposito. Mercurius aũt nõ sit infelix. Agebant hæc hora diei Solis ultima, ita ut dominus horæ decimã teneret cœli plagã. Petrus Aponensis inquit medicum per imaginem infirmum curare posse. Modò in ea fabricanda obseruet, ut anguli ascendentis medij cœli, occidentis sint fortunati, & ascendentis dominus, & eadem ratione secunda, sed sexta et dominus eius sit infelix. Ait etiã sanitatẽ fore firmiorẽ uitamq; longiorẽ, quàm ab initio fuerit instituta, si natiuitate perspecta fiat imago, in qua hæc fortunata ponatur, scilicet illius significator uitæ. Item uitæ datores, tum signa, tum domini, præsertim ascendẽs eiusq; dominus

Mengi factum.

dominus. Item cœli mediũ, locus Solis, pars fortunæ, dominus coniunctionis uel præuentionis ante natiuitatem factæ. Mali quinetiã infortunati cadant. Concludit Astrologorũ nullum dubitare, quin ad producendam uitã talia conferãt. Prolixũ foret dictu quas per quælibet signa facies antiqui, et quas Lunæ stationes tanquã necessarias in exprimendis imaginibus obseruabant. Nam in statione Lunæ à gradu Virginis decimoseptimo ad finem eius faciebant imagines contra morbos et odia, & ad iter felix. In statione à principio Capricorni ad gradum duodecimũ, cõtra morbos & discordias atq; captiuitatem. In statione à gradu duodecimo Capricorni ad gradũ uigesimumquintũ aduersus languorem & carcerem. In statione à gradu quarto Piscium ad gradũ eiusdem decimumseptimũ ad curandos morbos, ad lucrum, societatem, ad augendas messes. Et in alijs similiter alias, uana sæpius curiositate machinabantur. Solas uero recensui quæ nõ tam Magum quàm Medicũ redolerent. Nam & medicinã eiusmodi uanã plurimũ fore suspicor. Pro alijs autem magis legitimis medicinarũ confectionibus eiusmodi mansiones Lunæ arbitror eligendas. Atq; etiã in Ariete gradũ sextum, rursum decimumnonũ, minuta xxvi. Item in Geminis gradũ decimũ, minuta xi. In Cancro gradũ decimũnonũ, minuta xxvi. In Libra gradũ sextũ, minu. xxxiiij. In Capricorno gradum decimumnonũ, minuta xxvi.

In Aquario gradum secundum, minuta xvij. In eodem gradu decimumquintũ, minuta octo. Præterea sententiam Haly mente tenendam: Quodlibet signum quandiu Sol est in coniuncti fieri, cæteris dominari, effectum eius præ cæteris euenire, ut illuc Lunã dirigas ad donũ inde propriũ pro medicinis suscipiendũ. Illuc inquam, id est ad signum & faciem, & maxime gradum: ut si bona Iouis affectas, ad hæc directam Lunam erigas uel unitam, quandiu locum eiusmodi Sol illustrat, ubi proprietas Iouia uiget. Similiterq; de cæteris. Curiosum uero narratu foret, & forte noxiũ quas imagines, & quẽadmodũ associandos uel dissociãdos inter se animos, fabricabãt ad afferendã felicitatẽ, uel inferendam calamitatẽ, uel uni cuidam, uel domui uel ciuitati. Ego quidem fieri posse talia non affirmo. Astrologi aũt fieri posse putant, & quomodo, docent, qualia ego narrare non audeo. Porphyrius ubi uitam Plotini magistri sui describit, talia fieri posse confirmat. Atq; Olympiũ Magum & Astrologum Aegyptiũ narrat contra Plotinum Romæ talia tentauisse, dum conaretur per imagines uel res eiusmodi siderare Plotinũ, sed conatus in autorem suum ob excelsam Plotini animã fuisse retortos. Albertus quoq; Magnus Astrologiæ pariter atque Theologiæ professor ait in Speculo, ubi à licitis discernere se inquit illicita, imagines rite ab Astrologis constitutas, uirtutẽ effectumq; acquirere à figura cœlesti.

Quodlibet signũ à solis cõmunione reddi uiuidius.

Atque

Atque subinde narrat mirabiles earum effectus, quales Thebith, Benthorad, & Ptolemæus, cæteriq; Astrologi pollicentur. Describitq; imagines ad calamitatem alicui, prosperitatemq; afferendam, quas cõsilio prætermitto. Et interea confirmat effectũ eas habere posse: quanquã et ut uir bonus artis damnat abusum, & ut legitimus Theologus orationes suffumigationesq; detestatur, quas impij quidam ad dæmones imaginibus fabricandis adhibuerunt. Neque tamen reprobat figuras & literas dictionesq; imaginibus impressas ad hoc ipsum duntaxat, ut donum aliquod accipiant à figura cœlesti. Quod quidem posse per imagines comparari, Petrus Aponensis confirmauit. Imò & affirmauit regionem nescio quam fuisse destructam per imaginem illam, quam Thebith narrat à Phedice Astrologo fabricatam. Thomas autem Aquinas dux in Theologia noster magis ista formidat, & minus tribuit imaginibus. Tantũ nanq; uirtutis duntaxat per figuras cœlitus putat acquirere, quantum conducat ad illos effectus, quos solet cõmuniter cœlum per herbas resq; alias naturales efficere. Nõ tam quia figura talis sit in ea materia, quàm quoniam compositum tale iam positũ est in certa quadam artificij specie, qualis cum cœlo consentiat. Hæc ait in libro cõtra Gentiles tertio, ubi charactêres & literas figuris additas ridet: Figuras uero nõ adeò nisi pro signis quibusdam ad dæmones adiungantur. In

libro etiam de Fato ait, constellationes dare ordinem essendi atq; perdurandi, non solum rebus naturalibus, sed etiam artificiosis, ideo imagines sub certis constellationibus fabricari. At si quid mirabile per eas ultra cõsuetos naturalium effectus nobis eueniat, in dæmonas reijcit hominum seductores, quod in libro contra Gentiles perspicue patet, maxime uero in libello De occultis naturæ operibus, ubi uidetur ipsas etiam imagines paruipendere, quomodocunq; factas: quas & ego quatenus ipse iusserit, nihilipendam. Referre autem mirabiles quosdam effectus imaginum in dæmonum falsitatem, nec est à Platonicis alienum. Nam & Iamblichus ait eos qui religione summa sanctimoniáq; posthabita, imaginibus duntaxat confisi, ab eis diuina sperant munera, hac in re à malis dæmonibus sæpissime falli, sub prætextu bonorum numinum occurrentibus. Contingere tamen ex imaginibus legitima Astrologiæ ratione constructis naturalia quædam bona, non negat. Denique tutius fore arbitror medicinis quàm imaginibus se cõmittere, rationesq; à nobis de potestate cœlesti, pro imaginibus assignatas, in medicinis potius q̃ in figuris efficaciam habere posse. Probabile enim est si quam uim imagines habent, hanc non tam per figuram nuper acquirere, quàm per materiam possidere naturaliter sic affectam. Ac si quid denuò acquiritur dum insculpitur, non tam per figuram cõparari quàm

per

per calefactionem contusione quadam prouenientem. Quæ quidem contusio calefactioq; facta sub harmoniæ cœlesti simili harmoniæ, quæ quondam materiæ uirtutem infuderat, excitat uirtutem ipsam atq; corroborat sicut flatus flammam, & manifestàm efficit ante latentem, sicut calor ignis in aspectũ producit literas scriptas succo cæpæ prius delitescentes. Atque literæ hirci adipe inscriptæ, lapidi prorsus occultæ, si lapis sub mergatur aceto prodeunt, & quasi sculptæ eminentes extãt. Imò uero sicut tactus Scopæ uel Arbuti suscitat rabiem consopitam, sic forte contusio quædam & calefactio sola latentem in materia uirtutem prodit, facta uidelicet opportune. Qua quidẽ cœlesti opportunitate expedit in medicinis conficiendis uti. Aut si quis forte tractare metalla lapidesq; uolucrit, præstat percutere solũ, atq; calefacere quàm figurare. Præter enim id quod inanes esse figuras suspicor, haud temere uel umbram idololatriæ debemus admittere.

Item nec temere uti stellis uel salutaribus ad morbos his similimos expellendos.

Hos enim sæpe augent: Sicut noxiæ stellæ dissimiles sibi morbos aliquando minuunt: quod sanè Ptolemæus & Haly perspicue docent.

De fabricanda Vniuersi figura.

CAP. XIX.

SEd cur nam uniuersalem ipsam, id est uniuersi ipsius imaginem prætermittimus? Ex qua tamen beneficium ab uniuerso sperare uidentur. Sculpet ergo sectator illorum forte qui poterit formã quandam mundi totius archetypam si placebit in ære. Quam deinde opportune in argenti lamina imprimat aurata. Sed quando potissimum imprimet? Quando Sol minutum primum Arietis attigerit. Hinc enim Astrologi tanquam ex sui natalis reuolutione fortunam mundi eo saltem anno imminentem auspicantur. Ille igitur in hoc ipso mundi natali totius impri net mundi figuram. At uidés ne quàm belle inter disserendũ mundi aliquando nati nobis succurreret argumentum? Siquidẽ quolibet anno renascitur, nónne in ipsa hominis genesi metiuntur Astrologi, primũ in quo signo, quo gradu, quo minuto Sol extiterit? Ibiq; totius figuræ iaciunt fundamentum. Et quolibet deinceps anno, quum primũ Sol minutum subierit idem, quasi renatum hominem arbitrantur, atq; inde præsagiũt anni fortunam. Sicut igitur id in homine facere nõ ualerẽt, nisi quasi renascere tur. Atq; hic nõ posset quasi renasci, nisi fuisset aliquando natus: sic & mundum conijcere licet aliquando genitum, Sole uidelicet sub minuto Arietis primo tunc posito, quandoquidem per eundem quolibet anno situm,

Astrologi à primo Solis in Arietem ingressu anni qualitatẽ præsagiũt.

sors

sors quædam quasi renascentis mũdi reuoluitur. Tunc igitur ille fabricabit mundi figurã. Cauebit autem ne sabbato Saturni die figurã sculpat aut exprimat. Hoc enim die Deus mundi faber ab opere traditur quieuisse, quod ab ideali die Solis inceperat. Quantum enim Sol generationi accõmodatus est, tantum Saturnus ineptus. Perfecerat autem opus in Venere, pulchritudinẽ operis absolutam significante. Sed de mundanæ fabricæ rationibus nihil ultra. Ioannes enim Picus noster Mirandula diuina de Genesi mundi mysteria Moseos diuinitus his diebus expreßit. Quamobrem ut redeamus ad institutum, & ille mundum suum primum die uel hora Saturni nõ sculpet, sed die potius uel hora Solis. Imprimet autem in anni natali, præsertim si tunc fẽlices accedant Iupiter atque Diana. Optimum uero fore putabunt præter liniamenta opificio colores insere re. Sunt uero tres uniuersales simul & singulares mundi colores, uiridis, aureus, sapphirinus, tribus cœli gratijs dedicati. Viridis quidem Veneri simulatq; Lunæ: humidus uidelicet humidis atq; nascentium proprius, accõmodatus & matribus. Aureum Solis esse colorem nemo dubitat, & ab Ioue insuper atq; Venere nõ alienum. Sapphirinũ deniq; Ioui maxime dedicamus, cui & Sapphirus ipse dicitur consecratus. Vnde & lapis lazulus hoc colore dotatus ob uirtutem Iouiam contrabilem atram à Saturno profectã, apud Medicos præ-

Mũdi tres colores.

rogatiuam habet, nasciturq; cum auro, aureis distinctus notis, ita comes auri sicut Solis est Iupiter. Similemq; uim habet lapis Armenus, colorem similem cum uiridi quodammodo possidens. Expedire igitur iudicabunt ad gratiarum cœlestium munera capessenda treis potissimum hos colores frequentissime contueri, atque in formula mundi quam fabricas, Sapphirinum colorem mundi sphæris inserere. Operæpretium fore putabunt aurea sphæris ad ipsam cœli similitudinem addere sidera, atque ipsam Vestam, siue Cererem, id est terram uiridem induere uestem. Eiusmodi formulam sectator illorum uel ipse gestabit, uel oppositam intuebitur. Vtile uero fore spectare sphæram motibus suis præditam, qualem Archimedes quondam, & nuper Florentinus quidam noster, Laurentius nomine, fabricauit. Neque spectare solum, sed etiam animo reputare. Proinde in ipsis suæ domus penetralibus cubiculum construet in fornicem actum figuris eiusmodi & coloribus insignitum, ubi plurimum uigilet atque dormitat. Et egressus domo non tanta attentione singularum rerum spectacula, quanta uniuersi figuram colores q; perspiciet. Sed hæc imaginum fictores illi uiderint. Tu uero præstantiorem in te finges imaginem: nempe quũ noueris nec quicquã ordinatius esse quàm cœlum, neq; temperatius aliquid cogitari quàm Iupiter. Sperabis ita demum beneficia cœli Iouisq; consequi.

qui, si cogitationibus, affectibus, actionibus, victu tei psum ordinatißimum temperatißimumq; præstiteris. At postquàm in mentionem temperaturæ cœlestis incidimus, opportunum forte fuerit recordari, nullũ inesse cœlo elementaris qualitatis excessum, ut Peripatetice loquar, alioquin siue ita compositum sit, iam esset tot seculis dissolutũ: siue etiã simplex tanta saltem magnitudine, potentia, motione cætera perdidisset. Sed profecto tanquam moderatißimũ omnia moderatur, ac diuersa cõmiscet in unum. Præterea tum hac ipsa temperantia sua, tum excellentia formæ diuinitus uitam meruit. Nam & res compositas, tunc demum uitam adipisci uidemus, quando qualitatum perfecta cõmixtio priorẽ iam cõtrarietatẽ fregisse uidetur, ut in plantis. Perfectiorẽ deinceps in animalibus uitã, quatenus inest eis cõplexio à contrarietate remotior q̃ in plantis. In hominibus rursum eadem ratione perfectiorem, & quodãmodo iam cœlestem. Siquidẽ humana cõplexio ad cœlestẽ temperantiã iam acceßit, præsertim in spiritu, qui ultra substantiæ suæ subtilitatẽ qualitatumq; temperantiã, quibus cũ cœlo consentit, cœlestẽ quoq; lucẽ est adeptus. Hic insuper ubi maxime talis est, potißimũ est cœlestis, uitãq; cœlestem diuinitus præ cæteris est adeptus. Et quatenus se talẽ in omni victu legẽq; uitæ efficit atq; seruat, eatenus singularia cœlestium dona reportat. Quãdo uero dicimus nõ esse in cœlo ullã

Cœlum omnis excessus qualitatũ expers.

elementaris qualitatis excessum, intelligimus uel nullã esse ibi eiusmodi qualitatẽ, sed uirtutes potius effectrices qualitatum temperatas, uel si quæ sunt illic quodã modo similes qualitates, quasi aëriam habere temperiem. Atque ubi quædam illic frigida siccaq; nominamus, Platonica hæc accipimus ratione, id est ut frigidũ appellatur quod minimi caloris est causa. Siccum uero quod humorem nobis exhibet minimũ. Sic astrologus Abraham Saturnum inquit corpus nostrum quodam modo relinquere frigidum atq; siccum, quia calorẽ & humorem affert nostro minorem. Eadem ratione carnes bouis & leporis in se quidem calidæ atq; humidæ, nobis frigidæ sunt & siccæ. Ex hac autem inductione duo hæc accipe corollaria: Primum quidem si corpora magis deinceps temperata, magis uiuunt, cœlũ maxime temperatum quammaxime uiuere. Imò uero uicissim ex eo quod cœlum exactissime temperatum absolutissimam in se uitam possidet coniectari, ut quatenus reliqua ad temperiem uitamq; illius accedunt, eatenus uitam sortiri præstantiorem. Alterum uero, uitã esse formã in se perfectam, perficientemq; corpus, motionisq; principium exhibentem. Principium inquam intimũ, motionis quoq; tum intrinsecus actæ, tum per omnem partẽ extrinsecus expeditæ. Si igitur idipsum uita est, mente captum existimato qui eiusmodi formã non cognouerit inesse cœlo, corpore præstantissimo,

circũ

circũeunte semper motione perfecta, cuncta uiuificante, magisq; illa gradatim, quæ uel ad ipsius similitudinem naturaliter propinquius accesserunt, uel quotidie huius influxibus aptius se exponunt.

Quantam imagines uim habere putentur in spiritum, & spiritus in eas. Et de affectu utentis & operantis.

CAP. XX.

COmpertũ habemus, si quis rite utatur helleboro, feratq; potenter, mutare quodammodo exquisita purgatione & occulta eius proprietate qualitatem spiritus corporisq; naturam, & ex parte motus animi, & quasi reiuuenescere, ut fermè uideatur esse renatus. Vnde Medeam Magosq; tradũt herbis quibusdam reddere iuuentutẽ consueuisse, quam non tam reddunt myrobalani quàm conseruant. Similem Astrologi potestatem propitias habere imagines arbitrãtur, per quam gestantis naturam & mores quodammodo mutent, in melius q; restituant, ut quasi iam alter euaserit, aut saltem prosperam ualetudinem diutißime seruent. Imagines uero noxias aduersus gestantem habere uim hellebori præter artem potentiamq; adsumpti, ueneno sam uidelicet atque pestiferam. Aduersus aũt aliũ quendam, ad cuius calamitatẽ fabricatæ intentæq; fuerint, uim ænei speculi concauiq; sic prorsus obiecti, ut col-

lectis repercußisq; in oppoſitum radijs, cominus quidem comburant, eminus autem caligare compellant. Hinc orta eſt hiſtoria uel opinio, putans Aſtrologorũ machinis magorumq; ueneficijs, homines, bruta, plantas, ſiderari atq; tabeſcere poſſe. Ego autem imagines in rem diſtantem, uim habere ullam nõ ſatis intelligo. Habere uero in geſtantem nonnullam ſuſpicor, non tamen talem opinor qualem pleriq; fingunt, & hanc ratione materiæ potius quàm figuræ, atque, ut dixi, longo interuallo medicinas imaginibus antepono. Quamquam Arabes & Aegyptij tantũ ſtatuis imaginibusq; attribuunt arte aſtronomica & magica fabricatis, ut ſpiritus ſtellarum in eis includi putent. Spiritus autem ſtellarum intelligunt, alij quidem mirabiles cœleſtium uires, alij uero dæmonas etiam ſtellæ huius illiús ue pediſſequos. Spiritus igitur ſtellarũ qualeſcunq; ſint inſeri ſtatuis & imaginibus arbitrantur, non aliter ac dæmones ſoleant humana nonnunquam corpora occupare, perq; illa loqui, moueri, mouere, mirabilia perpetrare. Similia quædam per imagines facere ſtellarum ſpiritus arbitrantur. Putant dæmonas mundani ignis habitatores per igneos humores uel ignitos ſimiliterq; per ignitos ſpiritus & affectus euſmodi noſtris inſinuari corporibus. Similiter ſtellarum ſpiritus per radios opportune ſuſceptos, ſuffumigationesq; & lumina, tonosq; uehementes competentibus imaginum materijs

inſeri,

inseri, mirabiliáq; in gestantem, uel propinquantem efficere posse. Quæ quidē nos per dæmonas fieri posse putamus, non tam materia certa cohibitos, quàm cultu gaudentes. Sed hæc alibi diligentius. Tradunt Arabes spiritum nostrum quando rite fabricamus imagines, si per imaginationem & affectum ad opus attentißimus fuerit, & ad stellas coniungi cum ipso mundi spiritu, atque cum stellarum radijs, per quos mundi spiritus agit, atque ita conunctum esse ipsum quoque in causa, ut à spiritu mundi per radios quidam stellæ alicuius spiritus, id est uiuida quædam uirtus infundatur imagini, potißimum hominis tunc operantis spiritui consentanea. Adiuuari quoque suffumigationibus ad stellas accommodatis opus eiusmodi, quatenus suffumigationes tales aërem, radios, spiritum fabri, imaginis materiam sic prorsus afficiunt. Ego uero odores quidem tanquam spiritui aëriq; natura persimiles, et quum accensi sunt, stellarum quoque radijs consentaneos arbitror, si Solares uel Iouij sunt afficere aërem ac spiritum uehementer ad dotes Solis aut Iouis tunc dominantis opportune sub radijs capiendas, atque spiritum sic affectum ita donatū, posse uehementiore quodam affectu, non solum in proprium corpus agere, sed propinquum præsertim natura conforme quidem, sed debilius, & consimili quadam afficere qualitate. Materiam uero imaginis duriorē ab odoribus & op:ran-

tis imaginatione, uix minimũ quiddam ſuſcipere poſſe puto: ſpiritũ tamen ipſum ab odore ſic affici, ut ex amborbus unum cõficiatur. Quod quidẽ ex eo patet quod odor nõ agit ulterius in olfactum, poſtquàm ſatis egit. Olfactus enim & quoduis aliud à ſeipſo uel ſimilimo quopiam nihil patitur. Sed de his alibi. Proinde imaginationis intentionem, non tam in fabricandis imaginibus uel medicinis uim habere, quàm in applicandis & aſſumendis exiſtimo: ut ſi quis imaginem (ut aiunt) geſtans rite factam, uel certe medicina ſimiliter utens, opem ab ea uehementer affectet, & proculdubio credat, ſperetq; firmiſſime, hinc certe quamplurimus ſit diumẽto cumulus acceſſurus. Namubi uel uirtus imaginis ſiqua eſt, tangentis carẽ penetrat calefacta, ſaltem uirtus in electa eius materia naturalis, uel certe medicinæ uigor intus adſumptæ, uenis ac medullis illabitur, Iouiam ſecum ferens proprietatem, ſpiritus hominis in ſpiritum eiuſmodi Iouium affectu, id eſt amore transfertur. Vis enim amoris eſt transferre. Fides autem ſpesq; non dubia ſpiritum hominis iam ita percitum ſiſtit in ſpiritu Iouio penitus atq; firmat. Quod ſi, quemadmodũ Hippocrates & Galenus docent, ægro tantis amor fidesq; erga Medicum inferiorem exteriorem q; ad ſanitatem plurimum conferunt (imò uero fi-
e. Canone ducia hanc Auicenna plus inquit efficere quàm medicinam) quantũ ad cœleſtem opem conducere putandum

dum est, affectum fidemq; nobis erga cœlestem influxum iam nobis insitũ, agentem intus, uiscera penetrantem? Iam uero amor ipse fidesq; erga cœleste donum, sæpe cœlestis adminiculi causa est, atque uicißim amor & fides hinc aliquando forsan proficiscitur, quod ad hoc ipsum iam nobis faueat clementia cœli.

De uirtute uerborum atque cantus ad beneficium cœleste captandum. Ac de septem gradibus perducentibus ad cœlestia. CAP. XXI.

VErba præterea quædam acriore quodam affectu pronunciata, uim circa imagines magnam habere censent ad effectũ earum illuc proprie dirigendum, quorsum affectus intenduntur & uerba. Itaq; ad duos ardentißimo quodam amore conciliandos, imaginem sub Luna coëunte cũ Venere in Piscibus uel Tauro fabricabant, multis interim circa stellas uerbaq; curiosius obseruatis, quæ referre non est consilium. Non enim philtra docemus, sed medicinas. Probabilius aũt est effectus eiusmodi uel per Venereos dæmonas confici, his operibus uerbisq; gaudentes, uel per dæmonas simpliciter seductores. Nam & Apolloniũ Theanæũ sæpe Lamias deprehendisse & prodidisse ferunt, dæmonas scilicet quosdam salaces Venercosq;, qui formosas puellas simulent, pelliciantq; formosos, quos ut ser-

pens elephantem ore, sic illi illos ore uulua pariter ex ugant, ac prorsus exhauriãt. Sed hæc Apollonius ipse uiderit. In uerbis autem certis uim esse certam atq; magnam Origenes asserit cõtra Celsum, & Synesius atque Alchindus de Magia disputantes. Item Zoroaster uetans barbara uerba mutari, Iamblichus quoq; similiter. Item Pythagorici uerbis & cantibus atq; sonis mirabilia quædam Phœbi & Orphei more facere consueti. Quod Hebræorũ antiqui doctores præ cæteris obseruarunt, omnesq; Poëtæ miranda canunt carminibus effici. Et grauissimus ille Cato in Re rustica in curandis bestiarum morbis aliquando barbaris cantionibus utitur. Sed præstat dimittere cantiones. Concentum uero illum, quo adolescens Dauid Saulem ab insania reuocabat, nisi mysterium iusserit ad diuinitatem referri, referet forte aliquis ad naturam. Quum uero pro septem Planetarum numero, septem quoque sint gradus, per quos à superioribus ad inferiora fit attractus, uoces medium gradum obtinent, & Apollini dedicantur. Infimũ quidem tenent gradum materiæ duriores, lapides atque metalla, ac Lunam referre uidentur. Secundum in ascensu locum habent, quæ ex herbis, arborum fructibus, gummis, membris animalium componuntur, respondentq; Mercurio, si ordinem in cœlo sequimur Chaldæorum. Tertium pulueres subtilissimi, eorumq; uapores ex prædictis electi, odo-

Verbis atque cantibus uires inesse.

resq;

resq; simpliciter herbarum & florum & unguentorum ad Venerem pertinentes. Quartum uerba, cantus, soni, quæ omnia rite dedicantur Apollini, Musicæ præ cæteris autori. Quintum uehementes imaginationis conceptus, formæ, motus, affectus, uim Martiam referentes. Sextum rationis humanæ discursiones deliberationesq; consultæ pertinentes ad Iouem. Septimum secretiores simplicioresq; intelligentiæ quasi iam à motu seiunctæ, coniunctæ diuinis, destinatæ Saturno. Quem meritò Sabath Hebræi nomine quietis appellant. Quorsum hæc? Vt intelligas, quemadmodum ex certa herbarum uaporumq; compositione confecta per artem, tum medicam tum astronomicam resultat communis quædam forma uelut harmonia quædam siderum dotata muneribus: Sic ex tonis primo quidem ad stellarum normam electis, deinde ad earundem congruitatem inter se compositis communem quasi formam fieri, atque in ea cœlestem aliquam suboriri uirtutem. Difficilimum quidem est iudicatu, quales potissimum toni, qualibus conueniant stellis, quales item tonorum compositiones, qualibus præcipue sideribus aspectibusq; consentiant. Sed partim diligentia nostra, partim diuina quadam sorte non aliter id assequi possumus, quàm Andromachus in theriaca componenda diutissime fatigatus est, ac tandem post di-

ligentiam, diuina sorte cõsequutus theriacæ uirtutem. Quod quidem contigisse diuinitus Galenus & Auicenna confirmant. Imò uero totam medicinam exordium à uaticinijs habuisse, testis est Iamblichus atq; Apollonius Theanæus. Ideoq; Phœbũ uatem medicinæ præponunt. Tres uero potissimũ regulas ad hoc afferemus si prius admonuerimus, ne putes nos in præsentia de stellis adorandis loqui, sed potius imitandis, & imitatione captandis. Neque rursum de donis agere credas, quæ stellæ sint electione daturæ, sed influxu potius naturali. Ad quem profecto multiplicem & occultũ, ita nos exquisitis studemus modis accõmodare, sicut quotidie ad manifestum Solis lumen caloremq; salubriter excipiendũ nosipsos accõmodamus. Aptare uero seipsum ad occultas dotes eius atq; mirificas, solius sapientis est officiũ. Sed iam ad regulas cantũ sideribus accõmodaturas perueniamus. Prima est exquirere quas in se uires, quós ue ex se effectus stella quælibet et sidus et aspectus habeant, quæ auferant, quæ ferant: Atq; uerborũ nostrorũ significationibus hæc inserere: detestari quæ auferunt, probare quæ ferũt. Secũda, considerare quæ stella cui loco maxime uel homini dominetur. Deinde obseruare qualibus cõmuniter hæ regiones et personæ tonis utãtur & cantibus, ut ipse similes quosdã unà cũ significationibus modò dictis adhibeas uerbis, quæ sideribus eisdẽ studes exponere. Tertia, situs aspectusq; stellarũ

ſtellarũ quotidianos animaduertere, atq; ſub his explo rare, ad quales potißimũ ſermones, cantus, motus, ſal- tus, mores, actus incitari homines pleriq; ſoleant, ut ta lia quædã tu pro uiribus imiteris in cantibus, cœlo cui dam ſimili placituris, ſimilẽq; ſuſceputuris influxũ. Me mento uero cantũ eſſe imitatorẽ omniũ potentißimũ. Hic enim intentiones affectionesq; animi imitatur & uerba, refert quoq; geſtus motusq; corporis & actus hominũ atq; mores. Tamq; uehemẽter omnia imitatur & agit, ut ad eadem imitanda uel agenda, tum cantan tem, tum audientes ſubitò prouocet. Eadem quoq; uir- tute quando cœleſtia imitatur, hinc quidem ſpiritũ no ſtrum ad cœleſtem influxum, inde uero influxũ ad ſpi- ritum mirifice prouocat. Iam uero materia ipſa cõcen tus purior eſt admodũ, cœloq; ſimilior quàm materia medicinæ. Eſt enim aër etiam hic quidem calens ſiue te pens, ſpirans adhuc, & quodammodo uiuens, ſuis qui- buſdam articulis artubusq; compoſitus, ſicut animal: nec ſolum motum ferens, affectumq; præferens, uerum etiam ſignificatum afferens quaſi mentem, ut animal quoddam aërium, et rationale quodammodo dici poſ- ſit. Concentus igitur ſpiritu ſenſuq; plenus, ſi forte tum ſecundum eius ſignificata, tum ſecundum eius articulos atque formam ex articulis reſultantem, tum etiã ſecun dum imaginationis affectum huic ſideri reſpõdeat, aut illi, non minorẽ inde uirtutem quàm quælibet alia com

positio traijcit in cantantem, atq; ex hoc in proximũ auditorem, quousq; cantus uigorem seruat spiritumq; canentis, præsertim si cantor ipse sit natura phœbeus, uchementerq; habeat uitalem cordis spiritum atq; insuper animalem. Sicut enim uirtus ac spiritus naturalis ubi potentissimus est, mollit statim, liquefacitq; alimenta durissima, atq; ex austeris mox dulcia reddit, generat quoq; extra se seminalis spiritus productione propaginẽ: Sic uitalis animalisq; uirtus ubi efficacissima fuerit, ibi intensissima quadam sui spiritus per cantum, tum conceptione agitationcq; in corpus propriũ potenter agit, tum effusione mouet subinde propinquum, afficitq; cum suum tum alienum siderea quadam proprietate, quam tum ex ipsa sui forma, tum ex electa temporis opportunitate concepit. Hac utique ratione orientales meridionalesq; multi (præcipue Indi) admirandam feruntur in uerbis habere potentiam, utpote qui magna ex parte Solares sunt: Vimq; non naturalem dico, sed utalem & animalem habẽt fermè omniũ potentissimam, & quicunq; in regionibus alijs maxime sunt phœbei. Cantus autem hac uirtute, opportunitate, intẽtione cõceptus, fermè nihil aliud est quàm spiritus alter nuper penes spiritum tuum in te conceptus, factusq; Solaris, & agens tum in te, tum in proximum potestate Solari. Si enim uapor & spiritus quidam aliquando per radios oculorum, uel aliter fo-

ras

ras emissus fascinare, inficere, aliterq; afficere proximum potest, multo magis id ualet spiritus ab imaginatione cordeq; simul uberior profluens & feruentior, motuq; ualentior, ut non omnino mirum sit, morbos quosdam animi atque corporis sic auferri posse aliquando, uel inferri, præsertim quoniam spiritus eiusmodi Musicus proprie tangit, agitq; in spiritum inter corpus animamq; medium, & utrunque affectione sua prorsus afficientem. Mirabilem uero in concitato canenteq; spiritu uim esse concedes, si Pythagoricis Platonicisq; concesseris, cœlum esse spiritum, motibus tonisq; suis omnia disponentem. Memento uero totam procedere Musicam ab Apolline. Atq; catenus Iouem esse Musicum, quatenus est cum Apolline concors. Venerem insuper & Mercuriũ Musicam uicinitate Apollinis reportare. Item ad hos quatuor duntaxat attinere concentus: tres uero reliquos uoces quidem habere, non cantus. Iam uero uoces tardas, graues, raucas, querulas, Saturno tribuimus: Marti uero contrarias, ueloces, acutasq; & asperas, & minaces: medias uero Lunæ: concentus autem Ioui quidem graues & intentos, dulcesq; & cum constantia lætos. Contrà Veneri cum lasciuia & mollitie uoluptuosos cantus adscribimus. Inter hos uero medios Soli tribuimus & Mercurio. Si unà cum gratia suauitateq; sunt uenerabiles, & simplices & intenti, Apollinei iudicantur.

Si unà cum iucunditate remißiores quodammodo ſunt, ſtrenui tamen atque multiplices, Mercuriales exiſtunt. Tu igitur horum quatuor unumquenq; cantibus tibi ſuis conciliabis, præſertim ſi competentes cantibus ſonos adhibeas, adeò ut quũ eorum more opportune canendo & ſonando clamaueris, reſponſuri protinus uideantur, uel inſtar Echo, uel ſicut chorda quædam in cithara tremens, quoties uibratur altera, temperata ſimiliter. Atque ut uult Plotinus & Iamblichus ita naturaliter id tibi continget è cœlo, quemadmodũ uel ex cithara reboatus, ſiue tremor, uel ex oppoſito pariete fit Echo. Profectò quoties ex frequenti quodam uſu, harmoniæ Iouiæ, uel Mercuriales, uel Venereæ, factæ uidelicet his regnãtibus, ſpiritus tuus ad hoc ipſum attentiſſime canens, harmoniæq; conformatus euadit Iouius, uel Mercurialis, uel Venereus. Interea Phœbeus euadit, ſiquidem Phœbi ipſius Muſicæ ducis uirtus in omni conſonantia uiget. Atque uiciſſim ex cantu ſonoq; phœbeo ipſe phœbeus euadẽs, uirtutem Iouis interim tibi uendicas et Veneris atq; Mercurij. Rurſusq; ex ſpiritu ſic intus affecto, ſimiliter afficis animam atq; corpus. Memento uero orationem apte & opportune compoſitam, & affectu ſenſuq; plenam atq; uehementem, ſimilem cantibus uim habere. Quantam in orando potentiam Damis & Philoſtratus habere ſacerdotes quoſdã Indos narrent, referre non expedit, nec etiã

quibus

quibus uerbis Apollonium euocasse manes Achillis affirment. Non enim loquimur nunc de numinibus adorandis, sed de naturali quadam potestate sermonis & cantus atque uerborũ. Esse uero phœbeam medicamq; in sono, & eo quidem certo potentiam, ex eo patet, quod qui in Apulia tacti Phalangio sunt, stupẽt omnes semianimesq; iacent, donec certum quisq; suumq; sonũ audiat. Tunc enim saltat ad sonum apte, sudat inde atque conualescit. Ac si post annos decem similem audiuerit sonum, subitò concitatur ad saltum. Sonũ uero illũ ex indicijs esse phœbeum Iouialemq; conijcio.

Quomodo septem modis nos cœlestibus accommodare possimus. Et quibus Saturnus sit maleficus, quibus propitius. Quos Iupiter à Saturno defendat. Quomodo cœlum agat in spiritum & corpus & animã.

CAP. XXII.

QVoniam uero cœlum est harmonica ratione cõpositum moueturq; harmonice, & harmonicis motibus atque sonis efficit omnia, meritò per harmoniam solam non solũ homines, sed inferiora hæc omnia prouiribus ad capienda cœlestia præparantur. Harmoniam uero capacem superiorum per septem rerum gradus in superioribus distribuimus. Per imagines uidelicet (ut putant) harmonice constitutas: Per medici

nas ſua quadam conſonantia temperatas : per uapores odoresq; ſimili concinnitate confectos : per cantus muſicos atq; ſonos. Ad quorum ordinem uimq; referri geſtus corporis ſaltusq; & tripudia uolumus : per imaginationis conceptus, motúsque concinnos : per congruas rationis diſcurſiones : per tranquillas mentis cõtemplationes. Sicut enim corpus per harmoniam quotidie ſuam, id eſt per ſitum & habitum & figuram opportune lumini caloriq; Solis exponimus, ſic & ſpiritum occultis ſtellarum uiribus comparandis, per ſuam quandam ſimilem harmoniam, imaginibus, ut opinantur, & certe medicinis, odoribus harmonice compoſitis comparatam. Et deniq; per ſpiritum ſuperis ita paratum (ut ſæpe iam diximus) animam eiſdem exponimus atque corpus. Animam inquam, quatenus affectu ad ſpiritum inclinatur & corpus. In anima uero nunc imaginationem, rationẽ, mentem ponimus. Poteſt utique imaginatio noſtra uel propter qualitatem motũq; ſpiritus, uel per electionem noſtram, uel etiam utrinq; ita diſponi, componi, conformari Marti Solí ue, ut ſit ueſtigio proprium influxus Phœbei uel Martij ſuſceptaculum. Similiter ratio, uel per imaginationem ſpiritumq; ſimul, uel per deliberationem, uel utrinq;, ſic ad Iouem imitatione quadam comparare ſe poteſt, ut multo magis ob dignitatem propinquitatemq; ſuam ipſa Iouem capiat & munera Iouis, quàm imaginatio

ſiue

ſiue ſpiritus: quemadmodum imaginatio ſpiritusq; eadem ratione multo magis cœleſtia capiunt, quàm res & materiæ quæuis inferiores. Mens deniq; contemplatrix, quatenus ſeipſam non ſolum ab his quæ ſentimus, uerumetiam ab eis quæ imaginamur cõmuniter moribusq; argumentamur humanis, ſeuocat, & affectu, intentione, uita, ad ſeparata ſe reuocat, Saturno quodã modo ſe exponit. Huic ſoli propitius eſt Saturnus. Sicut enim Sol animalibus quidẽ nocturnis inimicus eſt, diurnis autem eſt amicus, ita Saturnus hominibus, uel uulgarem palam uitam agentibus, uel fugientibus quidem uulgi conſuetudinem. Vulgares tamẽ affectus nõ dimittentibus eſt aduerſus. Vitam nanq; cõmunem conceſſit Ioui, ſeparatam uero ſibi uendicauit atq; diuinã. Mentibus autem hominum re uera hinc pro uiribus ſe gregatis tanquam ſibi cognatis quodammodo eſt amicus. Nam & ſpiritibus ſublimem habitantibus aërem ipſe Saturnus (ut Platonice loquar) eſt pro Ioue, ſicut Iupiter hominibus cõmunem agentibus uitã eſt iuuans pater. Nullis uero Saturnus eſt infenſior, quàm hominibus contemplatiuam uitam ſimulantibus quidem, nec agentibus. Hos enim nec Saturnus agnoſcit ut ſuos, nec Iupiter ipſe Saturni temperies, adiuuat eos, qui cõmunes hominũ leges moresq; & commercia fugiunt. Hæc enim ſibi Iupiter uſurpauit (ut aiunt) ligato Saturno, ſegregata Saturnus. Quãobrem Lunares illi populi,

Saturnus quibus amicus.

quos Socrates in Phædone describit, eminentissimam terræ superficiem, & altiorem nubibus habitantes, uidentes sobrij admodum frugibusq; contenti, & secretioris sapientiæ studio religionique dediti, Saturni felicitatem gustant, uitamq; agunt ita prosperam, tam longæuam, ut nõ tam mortales homines, quàm immortales dæmones habeãtur: quos heroas multi nominant, aureumq; genus Saturnio quodam seculo regnoq; gaudens. Quod forsan Astrologos Arabes uoluisse puto, ubi aiunt ultra lineam æquinoctialẽ ad meridiem esse subtilissimos habitatores quosdã dæmonas, qui nec oriri uideantur neque mori, ibiq; potestatem habere Saturnum caudamq; Draconis. Quod sanè confirmare uidetur Albumasar in libro Sadar, dicens quasdã Indiæ regiones Saturno subiectas esse, ibiq; homines esse ualde longæuos, ac senio plurimum extremo decedere. Rationemq; assignat, quoniam Saturnus non lædat domesticos, sed externos. Tu uero potestatem Saturni ne negligas. Hunc enim ferunt Arabes omnium potentissimum. Planetas sanè uires eorum subire ad quos accedunt: omnes uero ad eum accedere potius quàm uicissim, Planetasq; coniunctos illi natura illius agere. Est enim ipse inter Planetas orbis amplissimi caput. Quilibet sanè Planeta sui orbis caput est & cor & oculus. Saturnis item stellis proximus est innumeris, primoq; mobili quam similimus, longum agit circuitum. Est altissimus

Indiæ habitatores longæuos esse.

tissimus Planetarum: unde felicem eum uocant, cui ille feliciter aspirauerit. Et quamuis eum tanquam à communi uita hominum alienum plerunq; maxime uereantur, placari tamen etiam cõmuni uitæ putant, siquando plurimã in ascendente potestatem dignitatemq; habuerit, aut Iupiter eum suus feliciter aspexerit, uel in suis finibus excellenter acceperit, alioquin influxus illius importune susceptus in materia præsertim crassa fit quasi uenenũ, sicut & ouum putrefactione uel adustione fit uenenosum, unde nascuntur uel euadunt immundi quidã, ignaui, tristes, inuidi, dæmonibus immundis expositi, quorũ cõmercium procul effugito. Nam Saturni uenenum alibi quidem sopitum latet, ceu sulphur à flamma remotum. In uiuentibus uero corporibus sæpe flagrat, atq; ut sulphur accensum non combu rit solum, sed uapore etiam noxio omnia circũ implet, atque inficit propinquantes. Contra influxum eius hominibus cõmuniter peregrinum & quodãmodo dissonum nos armat Iupiter, tum naturali qualitate sua, tũ alimentis medicinisq; certe suis, atq; (ut putant) etiam imaginibus, tum etiã moribus negocijsq; & studijs atque rebus ad ipsum proprie pertinentibus. Noxiũ uero influxum Saturni effugiunt, subeuntq; propitium, nõ solum qui ad Iouem confugiunt, sed etiam qui ad diuinam contemplationem ab ipso Saturno significatam tota mente se conferunt. Hoc enim pacto malignitatem

Saturnus ouo similis.

fati deuitari posse Chaldæi & Aegyptij atq; Platonici putant. Quum enim cœlestia nolint esse corpora uana, sed diuinitus animata, atq; insuper mentibus recto diuinis, nimirum illinc ad homines non solum quamplurima ad corpus & spiritum pertinentia, sed multa etiã bona quodammodo in animam redundantia proficisci uolunt, non à corporibus in animã, sed ab animis. Magis autem hæc pluraq; eiusmodi à mentibus superioribus cœlo profluere. Inter hæc si rationes omnes aßignare uolueris, quibus adductus Moses ocium sabbati mandauit Hebræis, forsan ultra sublimiorem secretioremq; allegoriam inuenies Saturni diem, actionibus ciuilibus belliciśq; ineptum, contemplationibus aptum, eoq; die diuinum contra discrimina patrocinium obsecrandum. Quod quidẽ impetrari posse aduersum Martis & Saturni minas Habraham et Samuel, & plures Hebræorum Astrologi, eleuatione mentis in deum uotisq; & sacrificijs confitentur, præceptum illud Chaldæum cõfirmantes scilicet, si mentem ad pietatis opus ardentem erexeris, corpus quoque caducum seruabis. Consideratu dignum est illud Iamblichi, cœlestia mundanaq; numina uires quasdam in se superiores, nonnullas inferiores habere. Per has quidem effectibus nos fatalibus deuincire, per illas autem uicißim soluere nos à fato, quasi claues, ut inquit Orpheus, ad aperiendũ habeant & claudendum. Multo igitur magis diuinitas

Moses die Saturni negocium interdixit.

mundo

mundo superior à fatali necessitate nos redimit. Exploratu quoq; dignissimum est Hebraicũ illud, in mactandis animalibus rebusq; nostris sacrificio dissipandis mala cœlitus imminentia, à nobis ad nostra deflecti. Sed hæc Pico nostro exploranda relinquimus. Denique ubicunq; dicimus cœlestium ad nos dona descendere, intellige tum corporum cœlestium dotes in corpora nostra uenire per spiritum nostrum rite paratum, tum eadem, prius etiam per radios suos influere in spiritum naturaliter, uel quomodocunq; illis expositum: Tum etiam animarũ cœlestium bona, partim in eundem spiritum per radios prosilire, atque hinc in nostros animos redundare: partim ab animis eorum uel ab angelis in animos hominũ illis expositos, peruenire. Expositos inquam non tam naturali quodam pacto, quàm electione arbitrij liberi uel affectu. Sũmatim uero quicunq; uoto, studio, uita, moribus, beneficentiam, actionem, ordinem cœlestium imitantur, eos existimato tanquam supernis similiores, ampliores illinc dotes accipere: Homines autem artificiose cœlestium dispositioni dissimiles atque discordes, & clàm esse miseros, & denique palàm infelices euadere.

Vt prospere uiuas agasq; in primis cognosce ingenium, sidus, Genium tuum, & locum eisdem cõuenientem, hic habita, professionem sequere naturalem.

CAP. XXIII.

QVicunq; sanæ mentis suiq; compos nascitur, est à cœlo ad honestum aliquod opus & uitæ genus naturaliter institutus. Quisquis igitur cœlũ optat habere propitium, hoc opus, hoc genus in primis aggrediatur, hoc sedulò prosequatur. Cœlum enim suis fauet inceptis. Ad hoc ipsum uero præ cæteris es natura factus, quod primum à teneris annis agis, loqueris, fingis, optas, somnias, imitaris, quod tentas frequentius quod facilius peragis, quo summopere proficis, quo præ cæteris delectaris, quod relinquis inuitus: Hoc est sanè ad quod te cœlum rectorq; cœli genuit. Eatenus igitur tuis fauebit inceptis, & aspirabit uitæ, quatenus genitoris ipsius auspicia prosequeris, præsertim si uerum sit Platonicum illud (in quo tota consentit antiquitas) unicuiq; nascenti esse dæmonem quendam uitæ custodem ipso suo sidere destinatũ. Qui & ad hoc ipsum officium adiuuet, cui nascentem cœlestia deputarunt. Quicunq; igitur per argumenta, quæ modo diximus suum ingenium perscrutatus, ita naturale suum opus inueniet, inuenerit simul suum sidus & dæmonẽ. Quorum exordia sequens aget prospere, uiuetq; feliciter: alioquin

Platonis sententia.

alioquin & fortunam experietur aduersam, & cœlum sentiet inimicum. Duo igitur sunt præ cæteris hominũ infortunatorum genera. Alterum eorũ qui nihil profeßi nihil agunt. Alterum eorum qui profeßionem ingenio alienam subeunt, Genioq; contrariã. Illi quidem ignauia torpent, interim ad actiones incitãte cœlo semper agente. Hi dum aliena à patronis cœleßtibus agũt, frußtra laborant supernis deßtituti patronis. Primum quidem antiquo prouerbio confirmatur, Dei adiuuãt facientes, ignauis autem infensi sunt. Secundum prouerbio simili: Nihil agas inuita Minerua. Ob hanc arbitror rationem Iouem in Pythagoricis carminibus obsecrari, ut uel ipse tot malis leuet genus humanũ, uel saltem quo duce dæmone utamur, ostendat. Proinde operæpretium fuerit indagare, ad quam potißimũ regionem habitandã & excolendam te tuũ sidus dæmoniq; tuus ab initio deßignauerit: ibi enim magis aßpirant. Ea uero est in quam primũ profectus ßpiritus tuus quo dammodo recreatur, ubi sensus uegetior permanet, ubi corporis habitudo ualidior, ubi magis pleriq; fauent, ubi uota succedunt. Hæc igitur experire: hanc regionem elige: hanc cole feliciter. Hinc uidelicet discessurus infelix, nisi & rediturus & ad similia pergas. Sed interea frequentibus in hac regione motibus te exerce, gyrosq; quosdam cœleßtiũ inßtar agito. Motu enim circuituq; eiusmodi genitus similibus cõseruabere. Quan

Id est, refragante ingenio, repugnante natura, cœlo nõ propitio.

Hinc Seneca dixit, male respondere coacta ingenia.

tum præterea ad habitationem pertinet utiliter recordabere: sicut alimenta uitæ necessaria rus quidem urbi suppeditat, urbs uero consumit, sic & ipsam uitam rusticatione frequenti, ubi tædium te minime cœperit plurimum augeri, sed urbano cum otio tum negotio conteri. Quantum uero ad habitationem simul & professionem spectat, illud orientalium Astrologorũ minime cõtemnendum, uidelicet mutatione nominis, professionis, habitus, uictus, loci, cœlestem influxũ nobis tum in melius, tum in deterius permutari. Dæmones quoque uel cõmutari, uel ad eosdem aliter hic & alibi nos habere

Duo homini dæmones.

Platonici iudicabunt. Dæmonem uero uniuscuiusq; custodem Astrologi cum Platonicis geminum esse posse consentiunt, alterum quidem genituræ proprium, alterum uero professionis. Et quoties professio cum natura consentit, eundem utriusq; dæmonem, uel certe similimum nobis adesse, uitamq; inde nostram magis secum fore concordem atq; tranquillam: Sin autem professio dissidet ab ingenio, dæmonem acquisitũ arte, esse à genio naturali discordem, uitamq; laboriosam atq; solicitam. Qualis autem unicuiq; dæmon ab ipsa generatione præsit cupientibus inuenire, Porphyrius regulã inuestigat ex Planeta domino genituræ. Iulius Firmicus Planetam genituræ dominum esse inquit, uel eum qui plures illic habeat dignitates, uel ex firmiori sententia potius eum cuius domiciliũ mox petitura sit Luna post

signum

ſignũ, quod homine naſcente iam tenet, ſed dæmonem non eadem regula putat inueſtigandũ. Verũ ex Chaldæorum opinione à Sole potius aut Luna. A Sole quidem ad Lunam in natiuitate diurna, à Luna uiciſſim ad Solem in natiuitate nocturna: Vt computato inter hæc interuallo, æquale ſpaciũ peragas ab aſcendentis gradu deſcendens, & in quem terminũ deſinis animaduertas. Cuius enim ſtellæ eſt ille terminus, eiuſdem eſſe dæmonem arbitrantur. Summatim uero à domino genituræ ſimul atq; dæmone, tenorẽ uitæ fortunamq; perpendere ſolent. Fortunã adiunxi quoniam nõnulli partem fortunæ, eadem fermè cõputant ratione. Optabant ueteres ſuum ad ſe dæmonem ab aliquo cœli cardine deſcendiſſe, ab oriente uidelicet uel occidente uel medio utrinq; cœlo, aut ſaltem ab undecima uel quinta plaga. Vndecima quidem medio ſupra caput noſtrum cœlo ſuccedit, ac bonus dæmon cognominatur, & aſcendentem ab oriente gradũ aſpicit ex ſextili. Quinta uero cœlo antipodum medio ſuccedit, appellaturq; bona fortuna, & aſcendentem gradum contuetur ex trino. Optabant tertio loco dæmonem, ſi modo à cadenti plaga uenerit ſaltem, uel à nona ueniſſe, uel à tertia. Nona enim appellatur Deus, tertia uero dea. Et illa aſcendentem gradum ex trino, hæc aſpicit ex ſextili. Cadentes uero duodecimam atque ſextam exhorrebant. Illam ſanè malum dæmonem, hanc malam fortunam

Fortunatæ horoſcopi domus.

cognominantes. Nos autem optare præterita superuacuum arbitrati, monemus easdem plagas quas illi pro dæmonibus fortunisq; optabant, obseruari pro Planetis & stellis ad opus efficiendum accõmodandis, ut uel sint in angulis, aut in duabus quas diximus succedentibus, aut saltem in duabus duntaxat cadẽtibus, quas antea nominauimus. Neq; enim ab re Solem nona gaudere dicunt, Lunã tertia, Iouem undecima, Venerem uero quinta. Hæ nanq; gradum cõspiciunt ascendentem. Sed redeamus ad institutum. Siue igitur ab illa, quã in superioribus narrabam, experientia diligentiaq;, siue ab hac arte quã modo recensui, primũ inuestigemus naturæ dæmonisq; instinctum, infortunatum esse censebimus, qui officium nullum profitetur honestũ. Nam & ducem professionis reuera non habet, qui opus honestum non aggreditur, & ducem naturalem uix ullum habet: Quoniam stellarũ dæmonumq; siue angelorũ ducum diuinitus ad custodiam dispositorũ officium est agere semper, & excellenter & latissime. Infortunatũ insuper eum, ut supra diximus, qui professione naturæ contraria, diuersum à Genio subit dæmonem. Memento uero pro dignitate professionũ digniores gradatim accipi dæmones, seu mauis angelos, atq; in gubernatione publica etiam digniores. Posse uero artem uitæq; tenorem accipi Genio & ingenio non contrarium, neq; longe diuersum, etiam si ad excellentiora processeris.

Memento

Memento rursus familiaritatem eorũ inire, quibus gratiæ cœlestes afflãt. Quod ex bonis animi, corporis, fortunæ perpendes. Sicut enim odor ex muſco, ſic ex bono boni nonnihil exhalat in proximum, ac ſæpe perſeuerat infuſum. Mirificus autem foret cœtus trium felicium uel duorum inter ſe mirabiliter redundantium. Memento deniq; effrenatos & impudentes & malignos ac infelices procul fugere. Hi nanq; malorũ pleni dæmonum uel radiorum, malefici ſunt, & tanquam leproſi peſtilentesq; non ſolum tactu nocent, ſed propinquitate etiam & aſpectu. Sanè propinquitas ipſa corporum animatorũ putatur eſſe contactus, propter efficacem uaporum exhalationem foras à calore, ſpiritu, affectu manantem. Maxime uero peſtilens erit flagitioſorum familiaritas atque crudelium, ſi uerum fuerit, poſt uegetalem uitam menſe Iouis, id eſt ſecundo nobis infuſam, deinceps menſe Martis, id eſt tertio ſenſualem animam infundi perturbationibus mancipatã. Sic enim qui perturbatione feruntur, Martis pleni Martiali contagione propinquos inficiunt. Contraria uero ratione conſuetudo frequens contiguumq; cõmercium cũ felicibus excellentibusq;, ut diximus, prodeſſe mirifice conſueuit. Apollonĩ Theanæum ferunt Epheſi deprehendiſſe ſenem, ſub cuius figura lateret dæmon, qui ſola præſentia totã ciuitatẽ peſte cõtaminabat. Quantũ uero Socrates multis præſentia ſola profuerit, Xenophon & Plato teſtantur.

Cõtagioſa infelicium propinquitas eſt.

Qua ratione literati cognoscant ingenium suum, sequanturq; uictum spiritui consentaneum. CAP. XXIIII.

QVoniam uero literarum studiosis loquor, recordari unumquenq; uolo literarũ amore captum in primis se esse Mercurialem, præterea Solarem quatenus ipse Mercurius est Solaris. Atq; hæc cõmunis his omnibus est conditio. Proprie uero præter naturam Mercurialem quisquis eloquij gratia, lepore, dignitate, uenustate pollet, Apollinem in se agnoscat & Venerem. Qui ad leges uel naturalem cõmunemq; philosophiam est propensior, non ignoret Iouem se habere patronũ. Sed qui ad secretißima quæq; curiosius perscrutanda penitus instigatur, sciat se non Mercurialem solum esse, sed Saturniũ. Sub cuius etiam principatu sunt omnes in quouis studio usq; ad finem seduli, præsertim in rebus alijs negligentes. Deniq; si uerũ est quod nõnulli tam Physici quàm Astronomi tradunt animam intellectu præditam in conceptum humanũ mense Solis, id est quarto descendere, qui plurimum intellectu uiuunt, & ab initio sunt præcipue & quotidie Solares euadunt. Horum itaq; Planetarum fauor his hominibus auspicandus erit. Sub eorum spiraculo medicinæ conflandæ. In eorum regionibus habitandum. Verum ad Apollinem Musarum ducem in primis uos ô literati Musarũ cultores aduoco. Quicunq; igitur inter uos dile-

Dilectissimi in Musarum amore fratres, ingenio multo magis longiusq; quàm corpore ualent, ij profecto sciant in genitura quondã sua Phœbem quidem materiã suppeditasse perpaucam, phœbeũ uero spiritum infudisse quamplurimũ, Imò & quotidie humores alimentaq; in corpore in spiritum maxima quadam ex parte resoluere. Vnusquisq; igitur uestrũ totus est fermè spiritus. Spiritalis inquam homo quidã, terreno hoc corpusculo personatus, spiritũ ante alios perpetuo quodã labore fatigãs, ut ipsi præ cæteris sit assidue spiritus recreandus, & in senectute præterea in qua cõmuniter euadit crassior, ad subtilitatem propriam reuocandus. Scitis profecto crassũ corpus crassis elementis quatuor ali. Scitote igitur spiritale corpus suis quibusdã tenuibus elementis quatuor enutriri. Huic enim uinũ est pro terra: odor ipse uini uicem gerit aquæ: cantus rursum & sonus agit aërem: lumen aũt præfert igneũ elementum. His ergo quatuor præcipue spiritus alitur, uino inquã eiusq; odore & cantu, similiter atq; lumine. Sed nescio quomodo ab Apolline primũ exorsi incidimus mox in Bacchum. Et meritò quidem à lumine peruenimus in calorem, ab ambrosia in nectar, à ueritatis intuitu in ardentem ueritatis amorem. Fratres certe sunt indiuiduiq; comites Phœbus atque Bacchus. Ille quidem duo potissimum uobis affert, lumen uidelicet atq; lyrã. Hic item præcipue duo, uinũ odoreq; uini ad spi-

Spiritus alimenta.

ritum recreandum, quorũ usu quotidiano spiritus ipse tandem phœbeus euadit et liber. Quamobrem ita uos ad excipiendum Solis lumen quotidie comparate, ut quatenus deuitata destillatione quadam & exiccatione fieri potest frequentissime sub luce uiuatis saltem in conspectu lucis, tum eminus, tum cominus, tum tecti tum aperti ad usum ubiq; uestrum uitalem Solis potentiam temperantes, atq; igne referentes in nocte Solem, citharæ cantusq; interim non obliti. Spirate uero semper & uigilantes & dormientes aërem uiuum, aërem luce uiuentem. Similiter habere uos oportet ad merum Bacchi donum Apollinis beneficio procreatũ. Eadem igitur proportione qua lumen, accipite uinũ. Abunde quidem quatenus nec destillatio nec exiccatio, qualem dixi, ebrietas ue contingat. Atque præter substantiam uini quotidie bis acceptã, odorem eius frequentius haurite, partim quidem os, ubi spiritus fuerit recreandus colluentes mero, partim lauantes eodẽ manus, partim naribus & temporibus admouentes. Satis iam fratres colloquuti sumus, satisq; combibimus. Ergo Valete.

De Astronomica diligentia in liberis procreandis. In præparandis epulis. In ædificijs & habitatione atq; uestibus, & quantũ curare talia liceat. CAP. XXV.

SEd iuuat etiam parumper alloqui seuerũ religionis antistitem. Dic age quid nam in Astrorum usu damnas

damnas antistes? Quicquid inquies arbitrio nostro detrahit, quicquid unius dici cultui derogat. Eadem ego tecum nõ damno solum, sed etiam ualde detestor. Execraris quinetiam scio, atq; ego insuper perhorresco nõ nullos, qui quum Deum exoratum uolunt, ad Iouem in medio cœlo uastum illud draconis caput subeuntẽ, tam miseri quàm stulti confugiunt, ab ipso uidelicet draco ne, qui quondam è cœlo corruit, tertiam stellarũ partem secum trahens deniq; deuorandi. Verum concedés ne contractibus, matrimonijs, colloquijs, itineribus, similibusq; operibus peragendis horas opportunas eligere? Non facile te his assensurum uideo, nescio quid arbitrio metuentẽ. Ego igitur, & si theologus ille Magnus Albertus ista dabit, & ratio quædam forte dictabit, per electionem ipsam ad arbitriũ pertinentem, cœlestia ita prudentiæ nostræ usui subijcí, quemadmodũ herbæ medico subministrant, tibi tamen potius in præsentia credam: Et quàm tu difficile nunc ea permittis, tam facile ipse dimittã. Obseruatiões uero Lunæ ideoq; aliarum stellarũ ad morbos curandos, & idcirco ad remedia præparanda iam diu (ut arbitror) permisisti. Concessum quoq; abs te, & insuper approbatum, crescente Luna, eademq; aucta lumine, nec aliunde infortunata seminibus agros spargere, uites oleasq; serere. Cur non igitur ad plantandum (ut cynice loquar) hominem, utamur beneficio Lunæ Iouisq; & Phœbi? Nã

Veneris quidem ad hæc officio semper utimur: Sed rectius modo dixissem, semper utuntur. Nam ipsa mihi Venus est Diana. Quid item de uictu dicemus? Nónne licebit & proderit sub felici sidere, tum autumnauinum, tum indies panem epulásque conficere? Ac si nequeamus in his præparandis aspectus siderum expectare, expediet saltem ascendentes accipere, uel aliter angulares, Solem, Iouem, Venerem, atq; Lunã. Sic enim omnia quibus utimur feliciter affecta cœlitus, feliciter nos afficient. Hactenus te uideo absq; controuersia concessurum, nisi forte dicas, ita uitam nostram nihil fore aliud quàm perpetuã seruitutem. Ad hæc ego subijciam, frustra mortales cumulandis pecunijs & honoribus seruituros, quibus sunt perpetuò mancipati, nisi interim diligentia physica dies uitæ sibi plures accumulent. Aut igitur soli Deo seruiant, quod quidẽ est potissimum: aut si cui præterea seruituri sunt, uitæ tum ualidæ tum longæ potius quàm pecunijs honoribusq; uanis indulgeant. Cõcordes ergo sumus. Sed nunquid uel domos fundabunt temere, uel infaustas habitabunt? Vbi contagiosa quædam calamitas ædificij fermè sic inficit habitantem, ut uenenosus pestilentiæ uapor etiã ad biennium in pariete seruatus. Qualis etiam ex epidemia latens in ueste, diu postea utentem inficit incautum atque perdit. At postquàm hic in uestium incidimus mentionẽ, prohibebis ne, pie pater, in ueste confi-

ficienda

tienda, uel primum induenda ſpiraculum Veneris diligenter aucupari, quo quaſi Venerea facta ueſtis, ſimiliter proſpera quadam corpus & ſpiritum afficiat qualitate? Nónne Medici uetant uulpium pelles, agninas probant? Nõ aliter forte ſidus indies quaſi naſcentes ueſtes afficit, quàm ſemel ab initio natas. Veſtes quidem & cætera artis opera certam à ſidere qualitatem accipere, Thomas Aquinas in libro de Fato cõfirmat. Tu igitur affirmabis. Infectas uero ueſtes utentem inficere, etiam teſtis eſt ſcabies atq; lepra. Deniq; ſi populi uitæ conſulis (ut opinor) iſta permittes. Atque ego permiſsione tua conſulam obſeruanda. Sin autem ciuſmodi moribundæ uitæ curam non improbas quidem, ſed negligendam mones, ego quidem negligo, melioris uitæ fiducia fretus, cæterisq; ſimiliter conſulo faciendum. Vale.

Quomodo per inferiora ſuperioribus expoſita deducantur ſuperiora: Et per mundanas materias mundana potiſsimum dona.

CAP. XXVI.

SEd ne longius digrediamur ab eo, quod interpretantes Plotinum inſtituimus ab initio, breuiter ita colligе. Mundus ab ipſo bono (ut Plato unà cũ Timæo Pythagorico docet) quãoptimus effici poterat, eſt effectus. Eſt igitur non ſolũ corporeus, ſed uitæ inſuper et intelligẽtiæ particeps. Quãobrem præter corpus hoc

mundi sensibus familiariter manifestum latet in eo spiritus corpus quoddam, excedens caduci sensus capacitatẽ. In spiritu uiget anima, in anima fulget intelligentia. Atque sicut sub Luna nec miscetur aër cum terra, nisi per aquam: nec ignis cum aqua, nisi per aërem: sic in uniuerso esca quædam, siue fomes ad animam corpori copulandam est ille ipse quem spiritum appellamus.

Anima spiritus fomes

Anima quoq; fomes quidã est in spiritu corporeq; mundi, ad intelligentiam diuinitus consequendam, quemadmodum summa quædam in ligno siccitas ad penetraturum oleum est parata. Oleum huic imbibitum pabulum est ad ignem, ad calorẽ dico proxime. Calor ipse luminis est uehiculum, ac si lignum hoc eiusmodi sit, ut igne præsente fulgeat, non uratur, qualia quandoq; uidimus. Iam hoc exemplo uidebimus, utrum uel homo, uel aliud quiddã sub Luna certis quibusdam præparamentis, partim quidem naturalibus, partim arte quæsitis, uitalia atq; etiam forte intellectualia quædam bona opportune quodammodo desuper accipere possit. Verum quod hic ad religionem spectat discutiemus alibi, ubi Plotinus in mediũ hæc adducet. Quod uero ad naturales spectat influxus, qualescunq; sint desuper uenientes, scito eos in nobis materijsq; nostris ita demum per artem comparari posse, quando fomenta nobis nostrisq; ad illos natura subgesserit, cœlumq; ad eosdem opportunius conspirauerit. Nónne in ipso fœtu natura fœtus

ra fœtus ipsius artifex, quũ certo quodam pacto corpusculum affecerit figuraueritq; hoc ipso statim præparamento, uelut esca quadam spiritũ ab uniuerso deducit? Perq; hunc uelut fomitem, uitam haurit atq; animam? Ac deniq; per certam animæ speciem dispositionemq; corpus ita uiuens dignũ est præsentia mentis tandem donatæ diuinitus. Vbiq; igitur natura maga est, ut inquit Plotinus atq; Synesius, uidelicet certa quædã pabulis ubiq; certis inescans, non aliter quàm centro terræ grauia trahens, Lunæ concauo leuia, calore folia, humore radices, cæteraq; similiter. Quo quidem attractu se cum ipso deuinciri mundum testantur sapientes Indi, dicentes mundum esse animal passim masculum simulatq; fœminam, mutuoq; membrorũ suorum amore ubiq; coire secum atq; ita constare: uinculũ uero membrorũ inesse per insitam sibi mentem, quæ totam infusa per artus agitat molem, & magno se corpore miscet. Hinc Orpheus naturam ipsam mundi Iouemq; mundanum marem appellat & fœminam. Vsq; adeò mutui partium suarum coniugij ubiq; mundus est auidus. Esse uero masculinum sexum fœminino ubiq; cõmixtum, declarat illinc quidem ordo signorum, ubi præcedens perpetuo deinceps ordine masculinum est, subsequens fœmininũ: hinc uero arbores atq; herbæ, quæ etiam sicut animalia utrunq; sexum habent. Mitto quod ignis ad aërem, aqua ad terram masculi uicem

Mũdus animal ἀνδρόγυνον.

tenet ad fœminã, ut non mirũ sit membra inter se mutua dana & omnes eius articulos mutuum coniugium concupiscere. Quod & Planetæ conciliant, partim quidẽ mares, partim uero fœminæ. Præcipue uero Mercurius masculus atq; fœmina, Hermaphroditi pater. Qd sanè animaduertens agricultura, præparat agrũ semi naq; ad cœlestia dona, & insitionibus quibusdã uitam plantæ propagat, & ad speciem alteram melioremq; perducit. Similia quædã efficit et medicus, physicus, et chirurgicus in corpore nostro, tũ ad nostrã fouendã, tũ ad uniuersi naturã uberius cõparandã. Idem quoq; Philosophus naturaliũ rerũ astrorumq; peritus, quem proprie Magũ appellare solemus, certis quibusdã illecebris cœlestia terrenis opportune quidẽ, nec aliter inserens quàm insitionis studiosus agricola ueteri recentẽ stipiti surculũ. Quod et Ptolemæus ualde probat, affirmans eiusmodi sapientem, sic astrorũ opus adiuuare posse, quemadmodũ agricola terræ uirtutem. Subijcit Magus terrena cœlestibus, imò inferiora passim superioribus, ut proprias ubiq; fœminas suis maribus fœcundandas, ut ferrũ Magneti trahendũ, ut camphorã ærì feruenti sugendam, ut crystallũ Soli illuminadum, ut sulphur & sublimem liquorem accendendum flammæ, ut oui testã uacuã & impletã rore Soli eleuandã, imò ut ouũ ipsum gallinæ fouendũ. Præterea sicut nõnulli fouentes oua, etiã sine animalibus uitã illis ex uniuersa

uersō conciliant, & sæpe materias quasdā opportune parātes absq; ouis manifestisq; seminibus animalia procreant, ut ex ocymo scorpionē, apes ex boue, ex saluia aucm merulæ similem: uitā uidelicet à mūdo materijs certis opportunisq; temporibus adhibentes. Sic & ille sapiens ubi cognouit quæ materiæ, siue quales partim inchoatæ natura, partim arte perfectæ, et si sparsæ fuerint cōgregatæ, qualem cœlitus influxū susciperē possint, has eo regnāte potissimū colligit, præparat, adhibet, sibiq; per eas cœlestia uēdicat. Vbicūq; enim materia quædā sic superis expositā est, sicut speculare uitrū uultui tuo, pariesq; oppositus uoci, subitò superne patitur ab agēte uidelicet potentissimo, à potestate uitaq; mirabili ubiq; præsente, uirtutēq; passione reportat, non aliter quàm & speculū imaginem representat ex uultu, & ex uoce paries Ecbo. His fermè exēplis ipse Plotinus utitur, ubi Mercuriū imitatus, ait ueteres sacerdotes siue Magos in statuis sacrficijsq; sensibilibus diuinū aliquid & mirandū susciperē solitos. Vult autē unà cū Trismegisto per materialia hæc nō proprie suscipi numina penitus à materia segregata, sed mūdana tantū, ut ab initio dixi, & Synesius approbat. Mundana inquā, id est uitā quandā, uel uitale aliqd ex anima mundi & sphærarū animis atq; stellarū, uel etiā motū quendā & uitalē quasi præsentiā ex dæmonibus, imò interdū ipsos dæmonas eiusmodi adesse materijs Mercu

rius ipse, quem Plotinus sequitur, inquit, dæmonas aërios nõ cœlestes, nedum sublimiores, statuasq; Mercurius ipse cõponit ex herbis, arboribus, lapidibus, aromatis, naturalem uim diuinitatis (ut ipse ait) in se habentibus: Adiũgit cantus cœlestibus similes, quibus ait eos delectari, statuisq; sic adesse diutius, et prodesse hominibus uel obesse. Addit sapiẽtes quondã Aegyptios, qui & sacerdotes erant, quum non possent rationibus persuadere populo esse deos, id est spiritus aliquos super homines, excogitasse magicum hoc illiciũ, quo dæmonas allicientes in statuas esse numina declararent. Sed Iamblichus damnat Aegyptios, quod dæmonas nõ solum ut gradus quosdã ad superiores deos inuestigandos acceperint, sed plurimum adorauerint. Chaldæos uero dæmonibus non occupatos Aegyptijs anteponit. Chaldæos inquam religionis antistites: nam Astrologos tam Chaldæorũ quàm Aegyptiorũ quodammodo tentauisse dæmonas per harmoniã cœlestem in statuas fictiles trahere suspicamur. Quod significare uidetur Astrologus Samuel Hebræus, autoritate Dauidis Bil astrologi fretus, antiquos uidelicet fictores imaginũ fecisse statuas futura pronunciantes. Harmoniã uero cœlestium his accõmodatam esse tradit, metallum fundere ad hominis pulchri formam, die Mercurij hora tertia scilicet Saturni, quando Mercurius Saturnũ in Aquario subit, in nona cœli plaga uaticiniũ designãte, ascenditq;

ditq; Geminorũ sidus significans prophetas (ut aiunt) Mars à Sole comburitur, nec Mercurium intuetur. Sol tamen aspicit cõiunctionis illius locum. Venus interea aliquem obtinet angulum, occidentalis est & potens. Luna ex trigono gradum aspicit ascendentem, similiterq; Saturnus. Hæc illi. Ego autem primo quidem ex beati Thomæ sententia puto, si modo statuas loquentes effecerint, non simplicem ipsum stellarum influxum ibi formauisse uerba, sed dæmonas. Deinde si forte cõtigerit eos in eiusmodi statuas ingredi, non arbitror hos ibi per cœlestem influxum fuisse deuinctos, sed sponte potius suis cultoribus obsequutos deniq; decepturos. Nã & natura superior ab inferiore conciliatur quidem aliquando, sed cohiberi nequit. Et dispositio illa siderum paulò ante descripta, cõcurrere forte nõ potest. Quãuis autem dæmones astronomica ratione statuis nõ includãtur, tamen ubi per cultum eis exhibitum præsentes extiterint, Porphyrius ait eos regulis astronomicis oracula reddidisse, atque ideo frequenter ambigua, & meritò, quoniam Iamblichus probat prophetiam ueram atque certam, nec malis dæmonibus cõuenire, nec humanis artibus uel natura, sed spiratione diuina purgatis mentibus prouenire. Sed ad Mercurium, imò ad Plotinũ iam reuertamur. Mercurius sacerdotes ait accepisse uirtutem à mundi natura conuenientem, camq; miscuisse. Sequutus hunc Plotinus, putat totum id ani-

ma mundi conciliante facile confici posse, quatenus illa naturalium rerũ formas per seminales quasdã rationes sibi diuinitus insitas generat atq; mouet. Quas quidem rationes appellat etiam Deos, quoniam ab ideis supremæ mentis nunquam destituuntur. Itaq; per rationes ciusmodi animam mundi facile se applicare materijs, quas formauit ab initio per easdem, quando magus uel sacerdos opportunis temporibus adhibuerit formas rerum rite collectas, quæ rationem hanc aut illã proprie spectant, sicut Magnes ferrum, Reubarbarum coleram, Crocus cor, Eupatorium Spodiumq; iecur, Spica Muscusq; cerebrũ. Fieri uero posse quandoq; ut rationibus ad formas sic adhibitis, sublimiora quoq; dona descendant, quatenus rationes in anima mundi coniunctæ sunt intellectualibus eiusdem animæ formis, atque per illas diuinæ mentis ideis. Quod & Iamblichus approbat, ubi de sacrificijs agit. Qua de re alibi nos opportunius disputabimus. Vbi etiam apparebit, quàm impura superstitio populi gentilis extiterit: contrà uero quàm pura pietas euangelica fuerit, quod magna ex parte in libro de religione Christiana iam fecimus.

Qua ratione natura superior nobis concilia ri possit.

DE VITA COELITVS COMPARANDA LIB. FINIS.

MARSILII FICINI APOLOGIA, IN QVA de Medicina, Astrologia, Vita mundi, Item de Magis qui Christum statim natum salutauerunt, agitur.



MARSILIVS Ficinus Florentinus, dilectißimis suis in ueritatis studio fratribus, tribus Petris, Nero, Guiciardino, Soderino, ter quaterq; salutem. Rectius modo Tripetro quàm tribus Petris fortasse dixißẽ. Sicut enim ubi palma est una, nõ faciunt plures in ea digiti, manus ibi plures, sic uestra amici corpora tria nihil prohibere uidentur, quo minus unum efficiat Petrum una uoluntas. Faber ille cœlestis patriæ Christus tam ingentẽ procreauit petram, ut immenso huic ædificio ecclesiæ suæ una hæc petra fundãdo sufficeret. Ego quoq; tam grandes nactus sum diuina quadã sorte petras, ut tres nunc meo uel arduo satis ædificio faciant. Nunc uobis amici nunc, si nescitis arx illa Palladis necessaria fore uidetur, qua procul à nobis sæuum impiorũ gigantũ impetum arceamus. Quamobrem uestra primũ arce tribus constructa petris, triũ liberorũ meorũ uitam, uitæ publice succurrentiũ munire decreui. Scitis (ut arbitror) me de Vita librũ composuisse, in libellos treis diuisum.

Quorum

Quorum primus, de Vita sana: Secundus, de Vita longa: Tertius, de Vita cœlitus inscribetur. Igitur esca tituli tam suauis quamplurimos alliciet ad gustandum. Sed in numero tanto ignorantes pleriq; futuri sunt (ut arbitror) maligni quoq; non pauci. Alius ergo dicet: Nónne Marsilius est sacerdos? Est profecto. Quid igitur sacerdotibus cũ medicina? Quid rursum cũ Astrologia cõmercij? Alius item: Quid Christiano cũ magia uel imaginibus? Alius autem, & quidem indignus uita, uitam inuidebit cœlo. Cuncti deniq; sic affecti beneficio in eos nostro ingrati nimis erunt, atque aduersus charitatem nostram, qua uitæ prosperitatiq; publicæ pro ingenij facultate cõsulimus, nõ pudebit esse crudeles. Cõmunis igitur erit uobis iste labor, sed ut quodam modo leuior sit: tres enim estis aduersum tres hostes, distributum subite certamen. Nec inuectiua (noui enim ingenium uestrum) confutabitis inuectiuam, sed alieni fellis amaritudinem (quæ uestra suauitas est miri fica) uestri mellis dulcedine superabitis. Principio candidißime Nere respondeto primis, antiquißimos quondam sacerdotes fuisse Medicos pariter & Astronomos. Quod sanè Chaldæorũ, Persarum, Aegyptiorũ testificantur historiæ. Ad nullum præterea magis quàm ad pium sacerdotem pertinere singularis charitatis officia, quæ quidem in maximo omniũ beneficio quammaxime lucent. Officium uero præstantißimũ est procul-

Priscos sacerdotes fuisse tũ Medicos tum Astrologos

dubio

dubio, quod & maxime neceſſarium, & in primis ab omnibus exoptatũ, efficere uidelicet, ut hominibus ſit mens ſana in corpore ſano. Id autem ita demũ præſtare poſſumus, ſi coniungimus ſacerdotio medicinam. At quoniam medicina ſine fauore cœleſti (quod & Hippocrates Galenusq; confitentur, et nos experti ſumus) ſæpius eſt inanis, ſæpe etiam noxia: nimirum ad eandem ſacerdotis charitatẽ Aſtronomia pertinet, ad quã attinere diximus medicinam. Eiuſmodi (ut arbitror) Medicum honorari ſacræ literæ iubent, quoniam propter neceßitatem hunc altißimus procreauerit. Et Chriſtus ipſe uitæ largitor, qui diſcipulis mandauit, languentes toto orbe curare, ſacerdotibus quoq; præcipiet, ſi minus uerbis ut illi quondam mederi poßint, ſaltem herbis & lapidibus medeantur. Quæ ſi minus ipſa ſufficiant, opportuno quodã afflatu cœli conflare hæc, & ægrotis admouere iubebit. Nam & ipſe eodem afflatu cœli animalia paßim ad ſuam quæq; concitat medicinam, uſq; adeò uitæ omnium abundantißime prouidet. Sic inſtinctu cœleſti diuinitus inſtigante, ſerpentes quidem marathro, hirundines autẽ chelidonia oculis medicantur: Aquilæ uexatæ partu Actitem lapidem diuinitus inuenerũt, quo feliciter oua ſtatim enterentur. Itaq; deus ipſe, qui per cœlum animalia quæuis ad medicinas inſtigat, ſacerdotes certe permittit non mercede inquam, ſed charitate medicinis cœlitus confirmatis

morbos expellere. His uero tu deinceps plura etiam si expedierit ingenij tui aculeis addes. Surge post hæc et tu Guiciardine uehemẽs, atq; curiosis ingenijs respõde to, magiam uel imagines non probari quidem à Marsi lio, sed narrari, Plotinum ipsum interpretante. Quod & scripta planè declarant, si æqua mente legantur. Neq; de magia hæc prophana, quæ cultu dæmoniũ ni titur, uerbum quidem ullum asseuerari. Sed de magia naturali, quæ rebus naturalibus ad prosperam corpo rum ualetudinem cœlestiũ beneficia captat, effici men tionem. Quæ sanè facultas tam cõcedenda uidetur in genijs legitime utentibus, quàm medicina & agricul tura iure conceditur: tantoq; etiam magis, quanto per fectior est industria, terrenis cœlestia copulans. Ex hac officina Magi omnium primi Christum statim natum adorauerunt. Quid igitur expauescis magi nomen for midolose? Nomen Euangelio gratiosum, quod nõ ma leficum & ueneficum, sed sapientem sonat & sacerdo tem. Quidnam profitetur magus ille uenerator Chri sti primus? Si cupis audire, quasi quidam agricola est, certe quidam mundicola est. Nec propterea mundum hic adorat, quemadmodũ nec agricola terram. Sed si cut agricola humani uictus gratia ad aërem temperat agrũ, sic ille sapiens, ille sacerdos gratia salutis huma næ inferiora mundi ad superiora contemperat: atque sicut ouа gallinæ, sic opportune terrena subijcit foue

da cœlo.

da cœlo. Quod efficit semper ipse deus, & faciendo docet, suadetq; facere, ut à superis infima generentur & moueãtur atq; regantur. Deniq; duo sunt magiæ genera. Vnũ quidem eorũ, qui certo quodã cultu dæmonas sibi conciliant: quorũ opera freti fabricant sæpe portenta. Hoc aũt penitus explosum est, quando princeps huius mundi eiectus est fòras. Alterũ uero eorũ qui naturales materias opportune causis subijciunt naturalibus mira quadam ratione formandas. Huius quoq; artificij species duæ sunt. Altera quidẽ curiosa, altera necessaria. Illa sanè ad ostentationem superuacua fingit prodigia: ceu quando Persarũ Magi ex saluia sub fimo putrefacta, dum Sol & Luna secundã Leonis faciẽ occuparent, eundemq; gradũ ibi tenerent, generabant auem merulæ similẽ, serpentina cauda, camq; redactã in cinerẽ infundebant lampadi, unde domus statim plena serpentibus uidebatur. Hoc aũt tanq̃ uanũ & saluti noxiũ procul effugiendũ. Tenenda tamẽ species necessaria, cũ Astrologia copulãs Medicinã. Si quis aũt pertinax ulterius instet, morẽ huic ita gerito Guiciardine, ut ne legat hæc nostra, nec intelligat, nec meminerit, nec utatur homo, si homo est, tãto beneficio prorsus indignus. Multa sũt præterea q̃ tu aduersus ingratã ignorantiã in mediũ afferre tuo ingenio poteris. Quidnam agis & tu strenue Soderine noster? Tolerabis ne superstitiosos cæcosq; nescio quos futuros, q̃ uitã in animalibus

Magiæ duo genera.

uel abiectißimis, herbisq; uilißimis manifeſtam uident? In cœlo, in mundo nõ uident. Iam uero ſi homunciones iſti uitam minimis concedunt mundi particulis, quæ tandem dementia eſt, quæ inuidia, nec noſſe, nec uelle totum uiuere in quo uiuimus, & mouemur, & ſumus? Quod quidem canit Aratus, Iouem manifeſte ſignificans cõmunem corporis mundani uitam. Peropportune nunc in hæc Arati uerba neſcio quomodo uideor incidiſſe. Memini Lucam euangeliſtam, memini Paulum apoſtolum his uerbis libenter uti, in quibus mundi uitã ſapientes illi non horrent. At uero ſuperſtitioſus quidã his obijciet, nõ facile conuinci ex uerbis eiuſmodi Paulum aſſentiri mundum habere animam, ſed tantũ ſubeſſe Deo, ac nos in hoc ipſo Deo uiuere. Eſto igitur, ne nominemus in mundo quando nõ placet, animam. Nomen anima ſit prophanum. Licebit ne ſaltem uitã qualemcunq; dicere? Quam Deus ipſe mundi fãber huic operi ſuo tam feliciter abſoluto clemẽter inſpiret: quandoquidem erga uilißima quæq; uiuentia nõ eſt auarus, & quotidie per cœlum quamplurimis quæ ſunt in eo largißime præſtat uitam. Dic amabo, nónne uides boues & aſinos, ô bos, ô aſine, qui tactu quodam ex ſe uiuentia generant eſſe uiuos? Si ergo hæc præterea ex ſe uiua quædam aſpectu etiam generarent, an non multo magis hæc uiuere iudicares? ſi quod modo ipſe iudicium, ſi quam uitam habes. Cœlũ terræ maritus, nõ tangit (ut

git(ut cõmunis est opinio)terrã. Cum uxore non coit, sed solis siderum suorum quasi oculorum radijs undiq; lustrat uxorem, lustrando fœcundat, procreatq; uiuentia. Num ergo uitam uel intuendo largiens ipsum in se propriam nullã habet uitam? Et quod dedit aui Struthio uitam aspectumq; uiuificum longe est hoc ipso deterius. His tandem adductis in mediũ, nisi persuaseris, superstitiosum istum mittito semiuiuum, imò uero non uiuum. Proinde ut pluribus causam nostram patronis agamus, addito Petre mi Nere Amphionem illum nostrum Landinum Christophorũ oratorem pariter & poëtam. Ille noster Amphion suauitate mira celeriter lapidea hostiũ nostrorũ corda demolliet. Tu uero Guiciardine charissime compater, ito nunc, ito alacer, Politianum Herculem accersito. Hercules quondã ubi periculosius certandum foret uocitabat Iolaum, tu uunc similiter Herculem. Nosti profecto quot barbara monstra Latium iam deuastantia Politianus Hercules inuaserit, lacerauerit, interemerit, quàm acriter expugnet passim, quàm tutò propugnet. Hic ergo uel centum hydræ capita nostris liberis minitantia statim contundet clava, flammisq; cõburet. Eia mi dulcissime Soderine, surge age, Picum salutato Phœbeum. Hunc ego sæpe Phœbum appello meum, ille me Dionysium uicissim atq; Liberũ. Fratres ergo sumus. Nuncia Phœbo meo uenenosum contra nos Pythonem, ex palude iamiam

Christophorus Landinus

Picus Mirandulæ Comes.

emergentem. Tendat arcum obsecra, precor. Cōfestim spicula iaculetur. Intendet ille protinus, scio quid loquar, uenenumq; totum semel una nece necabit. Valete iam feliciter amantissimi fratres mei, nō ualetudine tantum felici, sed ipsa etiam felicitate digni: Liberorumq; meorum in lucem iam prodeuntium ualetudinem felicitatemq; curate, decimoquinto Septembr. M.CCCC. LXXXIX. in agro Caregio.

APOLOGIAE FINIS.

QVOD NECESSARIA SIT ad uitam securitas & tranquillitas animi.

MArsilius Ficinus dilectissimis in ueritatis uenatiōe fratribus Bernardo Canisiano, Ioanni Canacio, & Amerigo Cursino salutem. Quū primis hic in uerbis uenationem quandam instituissemus, meritò forsan canes statim adhibuimus & cursores. Apte quidem philosophantes appellauimus uenatores, anhela semper ueritatis indagine laborantes. Num etiam apte canes? Aptissime inquit in Republica Socrates. Philosophantes enim uel legitimi sunt uel spurij. Ambo canes. Illi quidem ueritatem ipsam sagaciter inuestigant, mordicus inuentam tenent. Hi uero

pro

pro opinione latrant, mordent, lacerant. Tantũ profecto canes inter philosophos sibi uendicant, ut nõ solum seipsos in sectam aliquam inseruerint, sed etiam sectam ipsi suam nomine Cynicã quandoq; confecerint. Habet quinetiam suos Academia canes. Huc ergo uos sagaces Academiæ canes, huc uos uelociſsimi curſores aduoco. Treis enim estis. Treis ergo nũc meos precor defendite liberos adhuc teneriores inter lupos (ut ueereor) uestigio prodituros. Currite inquam alacres, negotia enim nunc uobis optata mando, non curas. Georgium Benignum Saluiatum cognoscitis meum, qui ueritatem illam, per cuius nunc uos uestigia paſsim uenando discurritis, iandiu est sagaciter assequutus. Qui et fratres suos Solis instar, maior ipse minores illustrat. Huic igitur si quem luporum ululatum audieritis, nunciate. Fortisſimus ille Georgius omnes facile fugabit lupos, qui & uastum draconem quandoq; transfixit. Ille me igitur, ille solicitudine simul et uos, cura leuabit. Solet enim inter uos aliquis, et quidem iam sæpius dicere, nihil ad uitam salubrius experiri, quàm magna cum securitate tempora deglutire. Cæteri uero dicenti protinus arridere. Sed dic age Canaci, quidnã hoc tuũ est toties repetitũ, Tempora deuorare? Quid deniq; tibi uis? Nõ esse inquies, sed bibere potius: nõ mandere uel conterere, sed faucibus plenis ingurgitare. Siquidem tempus ipsum natura quædam est liquens (ut ita dixe-

rim) atque labilis. Liquentium uero hæc est conditio, ut si cohibeas in angustũ, subito perdas. Diffluũt enim coacta celeriterq; diffugiunt. Si aquam spongiæ imbibitam forte compresseris, exprimes eam, statimq; dispergens. Si latius hanc tenueris, retinebis: multo magis aërem, ignemq; & ætherẽ. Hinc apud Poëtas frustra contendunt, qui ampla Diuorum manium uestimenta lachrymis ulnis capessere moliuntur. Late admodũ accipienda sunt latissima. Liquentia & amplissima sunt amplissime possidenda. Tunc certe grauiter nos premit angustia, quando animum ipsum motumq; eius naturaliter amplum, redigimus in angustiũ. Quicunq; studia negociaq; pensitant examussim, & in minima quæque semper exactissime deterunt, uitam interea suam, heu suam uitam clàm miseri conterunt. Recte igitur Pythagoras præcepisse uidetur. Caue nequando in angustiũ forte cohibearis, nihil cœlo amplius, nihil est uitalius. Angustissima uicissim terra uitã habet in mũdo quamminimam. Deniq; si cœlo temporeq; uiuimus, quanto hæc latius absorbemus, tanto uiuimus & diutius. Viute ergo lati ab angustia procul ô amici. Viuite læti. Lætitia cœlum uos creauit sua, quam suo quodam risu, id est dilatatione, motu, splendore declarat, quasi gestiens. Lætitia cœlum uos seruabit uestra. Ergo quotidie in præsens uiuite læti. Nam solicitudo præsentium rapit uobis præsens, præripitq; futurũ. Curiositas futurorum

Eiusmodi præcepta extant inter Pythagoræ symbola. Μὴ ἐς ἀύριον τὼ καρδίαν. Et: μὴ φορεῖν σεαυτὸν ἀκατύλον.

rum celeriter in præteritũ uos traducit. Iterum igitur precor atq; iterũ, uiuite læti. Nam fata sinunt, dũ securi uiuitis. Sed ut reuera sine cura uiuatis, ne unam quidem hanc curam sumite, qua soliciti curetis unquam, qua potissimum diligentia curas effugiatis. Vna enim cura hæc mortalibus heu miseris omni cura cor urit. Negligite igitur diligentiã, negligentiã uero diligite, atq; hanc etiã negligenter, quoad licet uobis inquam, atq; decet. Hæc autem non tam ut sacerdos amici mando uobis, quàm ut Medicus. Nam absq; hac una tanquam medicinarum omnium uita, medicinæ omnes ad uitam producendam adhibitæ moriuntur. XVI. Septembris, M. CCCC. LXXXIX. In agro Caregio.

DE VITAE TRANQVILLITATE EPISTOLAE FINIS.

ANDREAS LEENNIVS MEDICINAE STV DIOSIS S.

Non abs re nobis uisum est his de Vita libris, eiusdem autoris Epidemiarum Antidotum ueluti coronidem adsuere: quam ille quidem sua uernacula lingua, hoc est Thuscana, precibus amicorũ cõscripserat. Nũc uero hic uitæ thesaurus à Hieronymo Ricio Ticinensi in coloniam Romanam deriuatus est, ut si unà cum uoluptate & commoditatem metiaris, non sit aspernabilis. Traduntur in eo morbi nedum definitiones, causæ morbi effectrices, signa, uerũetiam prophylacticen, & præsentis mali curationem, uariis diuersisq; corporibus accommodatas, mira breuitate simulatq; facilitate perstringens medelas. His fretus præsidijs uitæ & sanitatis rationem ineas, tibiq; persuade. Ανδρὶ δὲ νεανίῃ ἄρχιον, ὡς γέμοι δοκεῖ.

MARSILII

FICINI FLORENTINI MEDICI

atq; Philosophi clarissimi Epidemiarũ Antidotus, ex idiomate Thusco, à Hieronymo Ricio latinitate donata.

PRAEFATIO.



Peræpreciũ duxi, patriæ pietatis impulsu, aliqua consilia contra pestilentiæ morbũ conscribere. Vt uero quisque huius penetrare intelligentiã & curam exercere posit, institui subtiles omneis longásque disceptationes reijcere. Satis nanque erit, quod quicquid in præsentia sum traditurus, & si breui uerborum contextu haud plura dici queant, sufficientibus tamen rationibus, multorumq; tam priscorum quàm recentiorũ autoritatibus & experientijs, præsertim patris nostri M. Ficini, inter Medicos præcipui, qui haud paucos hac labe infectos pristinæ sanitati restituit, & comprobatum est et traditũ. Imploramus itaq; Deum Opt. Max. humanæ uitæ largitorem, necnon uerarũ salutariumq; medicinarũ reuelatorem, ut contra pestis pericula efficacia nobis detegat remedia, utq; suum uitale donum nobis ad laudem gloriamq; suam conseruet.

Ficini pater inter Medicos clarus.

QVID, QVALIS'VE SIT PESTIS. CAP. PRIMVM.



ESTIS, uenenosus quidã uapor est in aëre concreatus, uitali inimicus spiritui: non quod propter elementarem aliquam qualitatẽ sibi contrarietur, sed specifica quadam proprietate. Veluti Theriaca, amica quidem est, non quia calida sit uel frigida, sicca uel humida, sed quoniam ex uniuersa eius compositione forma resultat quædam, uitalis formæ spiritus accõmodata. Sic & pestifer ille uapor nõ quia calidus, frigidus, humidus uel siccus naturæ inimicus est, sed quia sua proportio quasi ad amussim proportioni contraria est, in qua spiritus consistit in corde uitalis. Et quemadmodum continuò in terra nascuntur uenena, sic sæpenumero nascitur uenenosus in aëre uapor, attamen non ita potens, quia magis spargitur. Nec puro stabiliri potest in aëre, quousq; talis aër est spiritui conformis, & igni, qui ex suæ naturæ potentia alterius non recipit naturæ mixtionem, unde fit quod nullam capiat putrefactionem. Sic purus & aër nullã recipiendo mixtionem, putrefieri minime potest. Rursus uenenosus huiusmodi uapor, humano ei solũ applicatur corpori, in quo apti ad febrem extant humores, utpote

utpote qui ad putredinem inflammationemq; sunt dispositi. Etenim si uitalis potentior ipso fuerit spiritus, procul à se pellit: si uero debilior, fugit eundem, suum ueluti contrariũ opus. Quapropter est ex usu, aërem, humores, et deniq; cor corrigere, purgare, roborare. Notandum (ut recte capias) quũ dico uenenosum hunc esse uaporem, tu ne credideris ipsum fore talem secundum formam, & totam sui naturam, quia omnes inde inficerentur. Sed huiusmodi est qualitatis, ut quamfacilime in ueneni naturam transeat. Et proprie uenenum efficitur, quando per ipsum in humano corpore, certo quodam gradu putrefiunt humores, simul & ebulliũt. Quod cõmuniter die tertia solet accidere, et interdum citius, maxime ubi quis superfluis abũdat humoribus, præsertim sanguine & cholera. Et quando iam ueneni susceptit naturam, calcis uel Arsenici qualitatẽ recipit, cuius effectus est, putrefacere, rodere, ardere, intus & extrà. Summe igitur necessum est, ut his trinis effectibus, potissimum interius, omni qua possumus industria resistamus.

Aër nõ uenenosus secundũ totalem sui formã, sed qualitatem.

Epidemiæ ortus causæ, & quæ potissimum huic malo obnoxia sint corpora.

CAPVT II.

COncreatur huiusmodi uapor in aëre, uniuersalioris tempore pestis, ex malignis quibusdã constellationibus, præsertim ex Martis cũ Saturno in si-

gnis humanis coniunctione, & ex luminarium eclipsi-
bus. Qualis est præsenti pestis in anno scilicet millesi-
mo quadringentesimo septuagesimo nono: & qualis
etiam fuit anno eiusdem millesimi, octauo, & hoc po-
tissimum lædit homines. Hisq; grassatur in locis, quæ
Horoscopũ siue suum Ascendentem ob prædictos side
rum aspectus infortunatũ habent. In magis uero par
ticularibus pestilentijs, præfatum nascitur uenenum ex
uentis & malignis lacunarũ cloacarumq; uaporibus,
atque pariter ex terræ motibus. At uero data istarum
quacunq; causa, semper tamen grosso potissimum re-
gnat in aëre, inq; paludoso, nebuloso, fœtido. Et quan
do subtilem ad aërem extenditur, penetrat, uelociusq;
interimit: at citius, frequentius, diutiusq; in grosso, ca-
lido, humido, fœtidoq; aëre regnat. Asserunt Doctorũ
nonnulli pestilentialem putrefactionem subtili prius,
post uero grossiori inesse aëri, sed multo durabiliorem
in grosso. Haud scio quo mẽtis discursu, quo fundamen
to primæ sit mihi parti adhærendum, quum contrariũ
experiẽtia mõstrat. Præterea nobis ratio dictat, quod
quum non purum, sed tantummodo mixtum elementũ
putrefieri possit, quo minus est mixtum, quemadmodũ
esse constat subtiliorem aërem, eo minus aptum est ad
putrefactionem. Et propterea eam non nisi per assiduũ
suscipit augmentum pestifere siderum influentiæ. At ue
luti grossior, mixta & stabilis aqua faciliter putrefie-
ri solet,

ri solet, sic utiq; haud difficulter putrefactionem recipit grossus & nebulosus aër. Hoc dat præceptũ Raimũdus, quod peste infirius excitata, altior subtiliorq; petendus est aër: sed orta superne, per duos menses primo fugiendum est deorsum ad grossiusculum frigidũ, humidum, purumq; aërem, ubi rara esse soleat infirmitas. Sequentes uero duos menses ad mediã aëris regionem, deinceps ad paulò altiorem, uidelicet siccũ, frigidum & subtilem, semper fugiendo calidum, humidũ, & nebulosum. Quo in aëre tales sunt homines, quales turbidis pisces in aquis. Id insuper facit pestilentialis aër in hominibus, quod caliginosæ putresq; in piscibus aquæ. Sed quod hominibus uenenum est, nõ oportet ut semper tale cæteris sit animantibus, propter cœlestiũ signorum ac animalium specierum diuersitatem. Hinc oritur ut de illorũ opinione quid dicam, ignorem penitus, asserentium quando pestilentiale incipit in aëre uenenũ, quod tunc quæ semper in alto degere solent auiculæ, descendunt ad ima, & planitiem inhabitant. Sed quãdo in terra oritur, tunc lumbricos & serpentes exire dicunt de sinu terræ, & auiculas quarum consuetudo est uolare habitareq; ad imum, sublimia petere, & montes adire. Addunt præterea, quod quando primũ in aëre, post uero in terra uenenum accenditur, interdum fugiunt animantia ex alto deorsum, et exinde rursus altiora repetũt. Hinc est quod uulgo dici solet, uul-

tures seu miluos pestilentiali cedere aëri, & quæ loca huiusmodi tenent milui, pestifero non subesse aëri. Sæpius audiuimus hanc contagionem ab hominibus transijsse ad porcos. Fieri forsitan id potuit per aliquã non quidem spiritus, sed carnis similitudinem. His proxime elapsis diebus semel atq; iterum pestilentiæ morbũ ex una in alteram domũ tulere feles & canes, ipsis tamen nulla ex parte hac cõtagione læsis. Nec ulla te propterea admiratio capiat, quod interdum sine omni nocumento, homo uel bestia prædictum suscipiant uaporẽ, ac tamen alios inficiant. Ignitum nanq; ferrum stupam consumit & paleam, ipsum uero nullatenus consumitur. Hoc enim ex recipientis subiecti dispositione prouenit, in quo potissimum secundum Aristotelem, Galenum & Auicennã, rei consistit effectus, ita ut his proximis diebus bimus nostro in rure puerulus integro stetit die, infecto cum puero, annorum plus minus septem cibo sæpius uescebatur infecti ore pueri masticato, neq; ullam ab ipso morbi labem susceperit, qua tamen correpti fuerunt alij longiuscule distantes. Nec nimiam habeas tua in dispositione fiduciam, cogitando te eius esse ualetudinis ut minime hæc tibi timenda sit cõtagio, sed hunc physicum obserua canonem: Quod quando multum disposita est materia, agens tunc causa quantumcunq; imbecillis, citò producit effectũ, sic accendit stupam & sulphur fauilla ex suscipientis aptitudine. Et

contrà;

contrà: Potentißima quæ fuerit causa, etiã in nõ dispo
ſitam operatur materiã, et licet ſulphur ignis ſuſcipiat
operationẽ citius q̃ lignũ, & ſiccũ lignũ minuteq̃; in-
ciſum, facilius quàm cætera ligna. Ardens nihilominus
fornax ligna ſtatim rapit in flammam, & großiora
& uiridia, eo quod ſumma agentis potentia citò diſpo-
nit atque informat. Et multoties peſtifer huiuſmodi ua-
por fit ſuarum ui cauſarum potentißimus, nec ſcire tu
poteris quando ſcilicet hoc fiat. Et licet uno in tempo-
re talis non adſit diſpoſitio, eſt tamen futura in alio.

Quo pacto, & quales temperaturas peſtis ex contagio feriat ocyßime.

CAP. III.

VEnenoſus iſte uapor adeò ſubtilis ſæpenumero
exiſtit, ut uiſu dijudicari nequeat, interdumq̃;
diſſoluitur, ſed facile exinde regeneratur, manente ad
hoc ipſum diſponente, influentia, iamq̃; tametſi puſil-
lus à principio fuerit, tamen multo magis q̃ ſulphur,
quum accenditur, uelocioriq̃; curſu de loco in locũ ex-
panditur, & longe magis cõtrariatur uitali cordis ſpi
ritui, qui eſt uapor ex ſubtili ſanguine, quàm ſulphur
naſo. Eiuſcemodi uapor ſolum in diſpoſitis ad hoc cor
poribus infecto ab aëre accenditur, ſed poſtquã eſt ac-
cenſus corporibus mira uelocitate facilitateq̃;, accen-
ſum ueluti ſulphur, plus quàm antea circũquaq̃; dila-
tatur.

tatur, præsertim quando subtili in humore, & tenui æstatis aëre accensus fuerit, et spargitur, salitq; ex uno in alterũ corpus. Accenditurq; potissime ubi maior est naturæ similitudo & in corpore recrementis pleno, cum fœtidis intus & extra uaporibus, & in cibis humoribusq; superfluis, & ad inflammationem putredinemq; aptis, & ubi calida est materia, & humida, córue coitu debilitatũ. Et pariter in corpore, passionibus animæ defatigato, & ultra modum calido, quodúe balneis est assuetum, cuiús ue pori sunt nimis patentes, seu multũ oppilati. Hæc quidem Galeni & Auicennæ fuit sententia. Pueri et fœminæ multũ ad pestem sunt apti, eo quod tenuis molliscq; materia ad transmutationem est facilior, et pleni sunt humoribus ad putredinẽ aptis, estq; præter modum et ordinem, illorum uita. Quemadmodum enim perturbat confunditq; uinum, calidus uentus & grossus, sic pestifer iste uapor inficit cogitq; circũquaq; ad cor, primo spiritus, postmodum humores, qui iam putrefacti ebullĩt. Est uero hæc ebullitio febris ipsa, quæ per uniuersum inde spargitur, plus q̃ cæteræ bullit seu inflat: quia tanta est uenenosa materia, ut natura quantũ potest principalibus à membris hanc statim conetur expellere. Iste quidẽ uapor omnẽ maculare potest humorem, sed potissimũ sanguinem, secundo choleram, tertio phlegma, quarto uero melancholiam. Vnde fit quod magis huic subijciuntur periculo

Pueros & fœminas pestecapi plurimum.

culo sanguinei, paulominus cholerici, postmodũ phlegmatici. Et minus reliquis melãcholici, quia frigidus et siccus humor ad inflammationem & putredinem ineptus est, & maxime quia strictos habent meatus per quos transire uenenũ oportet. Idcirco senes minus sunt pestifero morbo obnoxij, licet huius anni pestis nec seniores etiã reliquerit intentatos. Cuius fortè ratio fuit quod ultra cæteros aduersos siderum aspectus, Saturnus retrogradus dominus fuerit anni. Est mirum dictu quod licet ex urbe nostra Florentina uniuersus fermè populus aufugerit, omni tamen die uita functi sunt circiter centum & quinquaginta.

De signis indicijsq; pestis. CAP. IIII.

QVæ uero signa indicent, quibus febrem esse pestilentialem faciliter & clare deprehendatur, haud tam facile ostendere quisquã potest, propter tam multiplicem accidentiũ diuersitatem et fallaciam. Hoc enim testatur uniuersus Doctorum conuentus, præsertim Auenzoar & Rasis. Erit nanq; clara interdũ urina, eo quod non pertingent ad hepar humores: apparebit modica febris, eo quod non erit calido in humore uenenũ, seq; propterea non diffundit ad extra, sic statim morietur patiens. Videbitur interdũ restitutus, eo quod natura primo in aggressu uenenũ à corde depulerit, tamen paulò post destituetur spiritu, eo quod potens non erit secundum pellendi aggressum. Ex quo

primo lassata fuerit conflictu, etiam quia uenenũ multiplicatum est, uel magis mutatũ in malignum, uel propinquius factum cordi quàm prius. Omnes ferè in principio aliquantulũ in melius tendere uidentur, quia tunc robustior natura tantum contra hostem omnes colligit uires: uerũ in alijs minus malis ægritudinibus, ad tam repentinum tantumq; non inducitur conatum. Videbitur præterea uirtutis robur obtinere, quia dictum uenenum non alijs ut cordi membris à principio contrarium est, & quando ipsum cor aggreditur statim interimit. Quare his in temporibus haudquaquam conuenit morbi signa examinando moram trahere, quia falleris, nec te natura expectabit, nisi administrando remedia festinaueris. Hac igitur de causa his quũ temporibus febrem adesse cõspexeris, præsuppone quod adsit, uel citò futura esse possit pestis, ac ei pestilẽtialis curam febris administra, et eo maxime quod quandiu uenenosa durat aëris influentia, omnis superfluus humor facile inficitur. Et omnis quæcunq; fuerit infirmitas, in pestilentiam facile transire poterit. febres præsertim furiosæ et continuæ. Vndẽ cõmuniter euenire solet, quod hoc morboso tempore nulla præter pestem ægritudo appareat. Quod si aliæ & multiplices quidẽ apparuerint ægritudines, tunc pestilentia remittitur & cessat. Sunt nonnulla pestilentialis febris signa, uidelicet febris continua absq; ordinata & manifesta declinatione

cum

cum magna anhelitus & pectoris angustia, cum repentina pulsus debilitate, cum uniuersi corporis grauamine, præcipue capitis, phrenesi, anxietatibus, ardore, siti, sanguineis maculis pluribus in locis. Cum urina grossa, turbida, & qualis est iumentorũ: memineris tamen quod signa fallunt. Aduerte insuper, quod quicũq; puer eo tempore uermiũ laborarit infirmitate, dici poterit pestilẽtia infectus, quia est materia ad pestem dispositum, ut sulphur ad ignẽ. Hoc multi nesciẽtes medici, iuuandi studio post sunt fraudati. Et ex signis propinquæ pestis ultra aëris turbiditatem, & animaliũ ex putredine genitorũ abundantiã, est principaliter uermiũ multitudo, uariolarum & morbillorũ, febriumq; continuarum & conclusarum, urinæ turbidæ, oculorũ rubores, excoriationes palati, phrenesis, et uniuersaliter quacunq; in febre, qua se uersus cor frequenter dirigit humor, humanam significat cõplexionem, ad pestem esse dispositam. Scias iterum, quando multo tempore pestifer uapor in aëre durat, tunc aquam terræq; fructus inficit, propterea tutius est aquam decoquere, uel ferratam scilicet aquã conficere, cum eaq; uinum lymphare, quia uinum fumosum est, & non conuenit iuxta Auicennæ & Rasis sententiam his in temporibus merum, utpote purum. Opportunum præterea alia quæ sumuntur in cibum rebus boni odoris corrigere, & cũ salsis acetosis'ue saporibus, præsertim quando pestis

post terræ motum oritur: præstiterit quoq; nõ parum rebus uti aridis in locis odoriferis, & æditis locis nascentibus, & inhabitare montes & colles.

Prophylactica cura à diæta & uictus ratione in statu pestilentiali. CAP. V.

ABstinendũ est tempore pestifero à rebus inflammãtibus & nimis aperitiuis, quia facilius ad uenenum suscipiendum disponunt. Videlicet cauendũ est extrà à solari calore, pariter à calore ignis, uestimẽtorum, et intrò, à sale à speciebus & medicinis calidis, similiter ab herbis intensæ caliditatis, à multo usu acrium, excepto cæpe et cichoria, uel raphano cũ aceto, quia ueneno aduersantur. Item à uino nimium fumoso, ab exercitio post cibũ, præsertim tempore calido, & à sudore, quia humores alterat, & in aëre infecto non licet se multum aëri exponere, nec excessiuo sub diuo exercitio, quia calefaciendo & poros aperiendo, statim multum de aëre suscipit infecto. Item abstinendum ab facientibus oppilationem & putrefactionem, quia pestilentialis dant febris materiam, qualia sunt uiscosa, frigida & humida: præsertim quando aliquid accidentalis seu extranei caloris suscipiunt. Etiam à uiscosis, calidis & humidis, ubi humidum calido prædominatur & male decoctum est: & ut summatim dicã, humiditas putrefactionis est mater. Et quæ extra nos, difficulter conseruantur, etiam in nobis haud facile conseruari

seruari poterunt. Vitandi igitur pisces quantũ fieri po terit, in quorum genere parui minus nocent pisciculi, & qui ex flumine sunt claro, petroso, & currente, fri xi in oleo cum sale, & immersi staphisagria seu aceto, aut succo aranciorum cum sale & modico piperis, uel cinnamomi. Etiam uitandũ est lac, & omnia recocta: quod si eo uti uolueris, sit primum inter alia cibaria & modica quantitate cum parum sacchari. Fructus uitan di sunt omnes, exceptis amygdalis, cerasijs acetosis, pyris, chrysomelis, persicis, pomis cydonijs, auella nis, prunis siccis, prunellis, mespilis, & cornulis, malis appijs, malis granatis, malatestis. Cæteris uero fructibus nequaquam utere, uel raro, uel rarissime. Po teris tamen diutius uti fructibus & herbis frigidis sic cis et acetosis, uel aliquantulũ amaricantibus. Sed uten do fructibus calidis & humidis, ut sunt ficus, uua, mo ra, cerasa dulcia sic sint modica, & immediate post co mede pomũ anaranciæ cum sale. Præterea si uteris fri gidis & humidis, ut sunt melones, pisces molles & te neri, pruna pinguia, sume paulò post aliquid fœniculi, & pomi anaranciæ cum sale, suprabibendo parum ui ni boni & odoriferi. Vitare etiam debes fungos & her bas humidas, portulacas, cucurbitam, et omnem humi ditatem, necnon & rem quæ facilis est putrefactionis. Cauebis quoq; fructus & res nimium dulces & humi das herbas: permitto tibi lactucam permixtam menta

uel cinnamomo. Eandē quoq; corrigere poteris cū ba silicone, chariophilato minutißimo & quasi ad rubedinem quandam tendente, odorem habente chariophilorum: est enim cordi gratißimū. Concedo etiam tibi cucurbitā, & herbam, quæ Thusca lingua Selbastrella appellatur. Rursus aduerte, ne te Rasis sententia fallat, quæ tempore multum calido admittit olera & fructus frigidos & humidos, quia Aegyptum ipse inhabitabat ubi extrema est siccitas, ubi ciuscemodi fructus et olera sunt exquisite à natura decocta. Cautus igitur esto ne talem præsumas licentiam in regionibus nō similibus Aegypto. Notandum insuper quod res acetosæ, asperæ & acres in conseruatiuo æque ac curatiuo administrandæ sunt regimine: quia periculū potißimū imminet in calido et humido, & in putrefactione illinc dependente in spirituū resolutione, inq; accessione uenieni ad cor. Res itaq; prædicti saporis omnibus iam dictis obsistunt malis, quia refrigerant, desiccant, conseruant, cōfortant, restringūt, & uniunt. Operæpretiū hic est meminisse, quod res nimis acres, ubi timetur pectoris strictura, aut stomachi debilitas, tēperandæ sunt cum saccharo, sale et lacte amygdalarū, cinnamomo, pipere, fœniculo, croco, ouis, & modico pinguedinis. Cōmendo plurimum panem speltæ, hordei, & fercula ex his condita. Item biscocta, risum, passulas tendentes ad acredinem, panem optimi grani sufficienter coctum

Rasis Canon.

Etum cum modico salis. Vtere sæpius capparibus cum aceto, & aliquando eo genere casei, quod Florentini Marzellinum uocant. Vitandus est caseus multum pinguis uel salsus Nec laudo tibi caules nec legumina, exceptis lenticulis. Prohibeo super omnia phaseolos, nec laudo multum rapas et spinachias. Concedo tibi petroselinum & pastinacas. Prohibeo autem erucam, cariotas, sapam, sinapi, citrullos, melones, bacellos, cicer recens, cucumeres, cerasia dulcia & mollia, uuas, ficus dulces & moras. Nec te repleto nimio uino, carnibus & ouis, ne nimium sanguinem, choleram, putrefactionem inflãmationemq; multiplices. Vtere ouis cũ agresta & aceto & pomis anarantijs, carnes sint leues & siccæ, bene coctæ, pulli, auiculæ, hœdi castrati, pipiones, turtures, & syluestres auiculæ. Siusus fueris carnibus humidis, sint assatæ, sed fac ut intus per totum bene impleantur cum acribus condimentis & acetosis, cum modico piperis, cinnamomo, coriandro & sale. Vina turbida sunt omnino noxia, & præsertim musta. Esto in cibo & potu plus solito parcior, cibus sit aliquantũ copiosior potu. Nec tamen uolo ut nimiam feras sitim & inediam. Caue stomachum fastidire permittas, sed cum præserua cum cibi & potus mediocritate, cũ exercitio & ieiunio, cum appropriatis euacuationibus. Abstine à coitu & passionibus animæ excessiuis, nisi forsitan per coitus abstinentiam te omnino grauatum

perceperis. Ad mentem reuoca dictum Auicennæ tertio naturalium, quod superflua per coitum seminis euacuatio plus nocet quàm si quadrageſies tantum exiret sanguinis. Dixit Hippocrates, coitū ſpeciem eſſe quandam morbi epilepſiæ. Caue ab aëre multum nubilo, denſo, recluſo & humido: ac ſcias aërem qui non frequenter mouetur & innouatur, ubi nec uentus nec Sol penetrat, nec purgat, facile mixtionē ſuſcipere & putrefactionem uenenoſam, ueluti immobilis aqua. Ab hominum te turba ſemoueto, præſertim exiſtens ieiunus, & quando calidum ſucceſſerit humido, & humidū calido. Declinato etiam aërem nimis calidum, quia aperit & nimis debilitat. Habitatio tua ſit ſpacioſa, ſicca, aërem recipiens ſiccum continuò, & tempore æſtatis ſubinde recentem. Caue quando multum incalueris, ne te protinus exponas frigido uel humido, nebuloſo, et uento calido et humido, præſertim in locis infectis, & de infecto loco ueniente, etiam ab omni uento de prædictis locis flante, niſi fuerit nimis longe diſtans, aut fractus pluuijs. Ventus autē qui aërem infrigidat & ſiccat & ſerenat, ſua natura eſt ſalubris, ſi eum cum temperamento receperis, & eſt principalis medicus contra huiuſcemodi uenenum. Magnam adhibe curam uitando uentos à ſtagnis uel paludibus uenientes: aquas fuge putridas herbas cōtinentes, immaceratumq; linū, & quencunq; prauum odorem. Procul eſto à caulium nucūm uc

Eius hæc uerba traduntur: τὸν συνδσίαν εἶναι μιαρὰν ἐπιπλοκίαν.

cucúmue odoribus, & fœtidis ab herbis. Abſtinendũ item à balneis, à ſomno meridiano, ab adhærenti arctóq; hominum conſortio. A turba fuge citò et procul, ac tarde reuertaris, quoniam longo durare ſolet tempore uenenum, ad offendendum perquam promptiſſimum. Vtere cibis ſiccis, optimi ſaporis, acribus, aceto ſis, uitando brodium, pinguedinem, dulcia, uiſcoſa: uinis ſubtilibus, claris, odoriferis, aliquantulum fumoſis ſed parum, acetoſis, non dulcibus, dilutis aqua multum ſubtili & clara. Summa, omni tempore à rebus caue ſanguinem generantibus aut nimium, aut aquoſum, groſſum & turbidũ, & pariter quancunq; rem ſtomacho nocentẽ. Hæc eſt regula cibi potusq;. Vtilis eſt, iudicio meo, omnibus ſuperſperſa cibarijs talis ſpecierum cõpoſitio. Accipe ſandalorũ rubeorũ unciã dimidiam, cinnamomi electi drachmas tres et dimidiã, croci drachmam dimidiam. Gentilis omni tempore his utitur ſpeciebus. Sume cinnamomi ſemunciam, mannæ drachmam unam & dimidiam, chariophilorum, becn albi & rubei drachmam dimidiam, coralloru rubeorum drachmã unam, cardomomi drachmas duas, croci drachmam dimidiam, ſacchari ad pondus omnium. Item nonnulli aliam habent deſcriptionẽ, & eſt talis. Cape margaritarũ drachmas duas, corallorum alborum & rubeorum drachmam dimidiam, roſarum, ſpodij ana ſcrupulum unum, cinnamomi drachmã unam,

croci ſcrupulum unum. Item, Sume cinnamomi unciam dimidiam, chariophylorum drachmã dimidiam, corallorum rubeorũ ſcrupulos duos, croci drachmam dimidiam, ſacchari ad pondus omniũ. Pro primo cibo utile eſt, niſi te calor offenderet, ſumere ficus, rutam, & nuces cum ſale, præſertim tempore frigido uel humido. Notandum quod ſpeciebus multum calidis, ut eſt quarta compoſitio ex his quas narrauimus, utendum eſt ſolum in ferculis multum humidis, frigidis & acctoſis, alijs uero uti poßumus in omnibus. Poſt cibum magno ſunt adiumento ſemina coriandri præparati, & etiam ſecundum Auicennam ieiuno ſtomacho, qui hæc ipſa tali in caſu plurimis effert laudibus. Vtere ieiuno ſtomacho frictionibus, bene pectina capillos, omnẽ expurga ſuperfluitatem, uniuerſum corpus mundum conſerua. Matutino tempore ignem præpara temperatum, & interdiu quãdoq;, præſertim humidis temporibus. Bonis ſæpius odoribus domum ſuffumigato, ſimiliter & ueſtimenta. Admoueas naſo pariter & ore teneas ubi plus opportunum fuerit, aliquid theriacæ: alijs uero in locis ſiue temporibus, corticem citri, zedoariam, uel modicũ thuris, manu etiam ſupradictum geſtare poteris cedrinum pomũ. Cape Ladani drachmam unam, been albi & rubei, roſarũ rubearum ana drachmas duas, ſtyracis liquidæ ſcrupulũ unum, myrrhæ, mentæ, chariophilorũ ana drachmã unam, ſandalorũ

dalorũ alborũ & rubrorũ, camphoræ ana drachmã dimidiã. Fac pomum cum aqua rosarum muscata, suspende collo cornu unicornis, hyacinthum, topazium, & smaragdum, ut pectus tangat, & etiam in ore. Dixit Auicenna fore necessarium, ut hyacinthus & similia, à naturali calore nostro calefiant, qui illorũ ad actum producat uirtutes, ut operẽtur in nobis. Fer tecum etiam in manu ad odorandũ poma odorifera, præsertim citri, limonum, aranciorum. &c. Sæpius ablue os, faciem & manus aceto, & aliquando cum uino potenti, nec omittas odorem mentæ, melissæ, querculæ, rutæ, uiolarum rubearum, & myrti. Vtere odoribus frigidis quos tempera cum calidis, ita tamen ut frigidi prædominentur, præsertim calidis temporibus, quia calidus per se aperit odor & inflãmat, quãuis aërem purget. Super omnia cura, ut hoc facias, scilicet, permisce æquali parte acetũ rosatũ albũ & aquã rosariũ cũ uino albo potenti, cũ modico zedoariæ uel corticis citri. De qua sæpius modicũ aliquid bibe, & sæpius cũ ea manus lauato & faciem. Defer tecũ in spongia cũ ligno fraxini, & laua etiã cum eisdem mane et sero tepidis, uniuersum corpus. Vtere temperato exercitio sub tecto quando es in locis infectis, ieiuno stomacho, sitq; locus exercitij spacioſus: alijs autem in locis facies exercitium sub diuo et pariter ieiunus. Rustici bibant loco uini acetum permixtum aquæ. Admoneo omnes, ut

non nisi summa cum cautela res tangant ex infectis locis allatas, nec quicquam gustent ex illis nisi coquatur, mundetur, uel abluatur. Haud equidem scio an dicere in præsentia debeã, an silentio potius præterire, quod Doctorũ nonnulli sæpius ieiuno stomacho dare solent in potu, urinam pueri recens emissam, uel lixiuium. Detur pro remedio rusticis accõmodato.

Præseruatrix curatio Epidemiæ. De pilulis & pulueribus præseruatiuis.

CAPVT VI.

Theriacæ probæ indicia.

Necessaria nobis est bis in hebdomada, ipsa omnium compositionum regina, cœlitusq; tradita theriaca. Vera quidem theriaca, ut eam noscas, saporem longa mora in ore conseruat, & styptic itatem ingerit uentri, ætatis esse debet annorum quatuor, & non ultra duodecim, de ea debet antea fieri experiẽtia in uenenatis animalibus. Theriaca electa iuxta Galeni, Auicennæ, Auerroisq; sententias, securũ reddit hominem ab omni ueneno, morboq; uenefico. Etiã in ipsa pestilentiali febre admittitur. Dixit Galenus se inuenire, theriacam plus quàm res omnes esse diuinam in conseruando & curando. Dixit Moses Aegyptius mirabilem factam esse cum ea experientiam in pestilentia Antiochensi. Nec silentio transeundũ puto Galeni typum dicentis: Pestem esse draconem cũ corpore aëreo, qui uenenũ contra hominẽ spirat, & theriacã purgatoriũ quoddam

quoddã esse, purgans uenenum & draconem domans. Accipiatur post cibum horis nouem, & ante cibũ horis sex uel septem. Qui eam sumere non potest saltem cordi apponat & stomacho nasoq;, & pulsibus: frequentius detur drachma una prouectis, alijs uero drachma dimidia, seu scrupulus unus. Qui calidæ sunt tẽperaturæ bibant æstiuo tempore sumpta theriaca tertiam partem cyphi aquæ rosarũ cum modico aceti rosati: alij scilicet alterius complexionis, & alio tempore, sumant cum uino albo permixto cum aqua scabiosæ & melissæ. Quod si theriaca non affuerit, uel non cõpetens fuerit tuæ naturæ, sume Mithridatũ. In alijs diebus hebdomadæ sume pilulas contra morbũ saltem horas quatuor uel quinque ante cibũ, unam scilicet aut duas, uel plus, secundum complexionem, superbibendo parum de uino albo cum aqua scabiosæ & melissæ temporibus frigidis: uel cum aqua rosæ & cum aceto rosato tẽporibus æstiuis. Pilulæ antiquiores sunt istæ. Sume myrrhæ, croci, ana unciam unam, aloës, uncias duas, sed quia nimiũ aperiunt, calefaciunt, resoluuntq; spiritus, ideo nonnulli abluunt ipsum aloë, & addunt terram sigillatam, uel bolum armenum secundũ dosim myrrhæ, uel addunt camphoræ ad dosim tertiæ partis myrrhæ, sed eligibilius est bolus armenus. Nõnulli componunt sic: Accipe aloës drach. sex, myrrhæ drachmas tres, seminum citri scrupulos duos, tormentillæ

drachmam dimidiam, croci drachmam unam, reubarbari drachmas duas, chariophilorũ scrupulum unũ, agarici, corticum citri, sandalorum rubeorũ ana drachmam unam, seminũ citri scrupulos duos, seminis acetosæ drachmam unam cum dimidia, corallorum rubeorum drachmã unam cum dimidia, boli armeni drachmas tres, camphoræ grana duo, confice cum syrupo de citro. Auicenna et Auerrois dicunt, qui utitur aloë myrrha & croco nunquam periclitabitur peste. Prædictæ cõpositiones temperant illorũ qualitatem, et uirtutem augent. Sed multo melior est compositio Nicoli, secundum quem ueræ pilulæ sunt istæ. Sume myrrhæ croci, boli armeni, charabe, corallorum rubeorũ ana drachmã unam, emblicorũ drachmas duas, aloës lotã ad pondus omniũ, fiant pilulæ cum uino albo odorifero. Credo quod essent nobiliores, & magis ad propositum, si loco emblicorũ ponerentur terræ sigillatæ drachmæ duæ, & boli armeni drachmæ tres, fiant pilulæ cum acetositate citri, & accipiantur cum uino albo, aqua rosata, aceto rosato. In alijs uero sequatur compositionem prædictam. Fac autẽ ut aloë sit splendidũ, leue, aliqualiter rubescens, delicatum, odoriferũ, frangibile, pinguescens, & immittendo super ipsum flatũ, madescit. Sit & myrrha clara, & corallus delicatus, absq; theriaca, & dictis pilulis non bene fieri poterit præseruatio. Itaque præ omnibus alijs utere duobus prædictis,

prædictis, scilicet theriaca, duobus diebus diuersis, & pilulis tribus saltem, quia desiccando humiditatẽ præseruant à putrefactione. Etiam fortificant cor, stringũt meatus, ne uenenum transitũ habeat ad cor, & ipsum illinc depellunt. Videtur mihi quod aloë in prædictis pilulis, quando sunt tempora humida & frigida, similiter & complexio, nõ debet lauari, sed in alijs temporibus & complexionibus sumere pilularum compositionem in pulueribus: melius est solũ quando opus est festinatione. Potest etiam sumi ante cœnam tribus horis uel quatuor, sicut etiã ante prandium. Poteris etiã semel in hebdomada, uel duabus uicibus aut plus, quando pilulæ offenderent (licet nullius sint offensionis) in tempore hyemali & humido, loco pilularum sumere ficum siccum cum dimidio nucis, cum modico rutæ & parum salis, superbibendo parum aquæ rosarũ uel aceti rosati. Quod si et istud te offenderet, utere loco illius non accipiendo aliquid aliud, parum panis tosti intincti in uino albo potente, cum pomo aranciæ, made facto in aceto rosato, & intincto cinnamomo. Sunt nõnulli qui dãt huiusce modi pilulas sero uel mane unã scilicet pro uice. Sume ligni aloës drachmã dimidiã, tormentillæ scrupulos duos, dictami albi scrupulũ unum, zedoariæ drahmã dimidiã, croci drachmã unam, berberis drachmã dimidiã, cornu cerui adusti scrupulos duos, sandalorũ rubeorũ scrupulũ unum, seminis acce-

toſæ & corallorum rubeorum, boli armeni, ana drachmam unam, camphoræ ſcrupulos duos, gemmarũ ex quibus fit electuarium de gemmis, drachmam dimidiam, margaritarum drachmam unam, hyacinthorum drachmã dimidiam, confice cum ſyrupo de ribes, uel de limonibus. Ego autẽ in omni tempore etiam in calido, eiuſcemodi pilulas dare ſoleo. Sume zedoariæ, ligni aloës, agrimoniæ, croci, ariſtolochiæ rotundæ, dictami albi, gentianæ, corticũ citri, ſeminis citri, ana ſcrupulum unum, coriandri præparati, tormentillæ, ſandalorum rubeorum, corallorũ rubeorũ, roſarũ rubearũ, ſpodij, emblicorũ, ana drachmã unam, terræ ſigillatæ drachmas duas, boli armeni drachmas quatuor, fac pilulas cum acetoſitate citri, quas adminiſtra cum uino albo, aceto roſato albo, & aqua roſæ. Ego multũ adhibeo fidei huic noſtræ compoſitioni, eam accipiendo quando non ſumitur aliquid de pilulis cũ aloë compoſitis. Etiam poſt operationem prædictarum pilularũ, additur ipſi compoſitioni, ambræ, muſci, hyacinthi, ſmaragdi, topazij, margaritarum, cornu unicorni, ana ſcrupulus unus. Melius, etiam erit laudabile multum, bibere iſta cum uino acetoſo, uel aceto albo, cũ aqua roſæ, terra ſigillata & bolo armeno, cum exigua portione ſmaragdi, & hyacinthi, & topazij, uel ſaltem cum margaritis & corallis. Iſta multũ commendantur à Galeno & Auenzoar: alij dant cortices & ſemina

Pilulæ Marſilij.

& semina citri, & limonũ, cum uino uel aceto rosato, et aqua rosarum. Ego uero frequenter dare soleo hanc simplicem confectionem et quidem efficaciſsimam atq; securam, cum uino albo, uel aceto rosato & aqua rosarum. Accipe boli armeni drachmas duas, terræ ſigillatæ, corallorum rubeorum, ana drachmã unam, corticum citri, zedoariæ, croci, ana drachmam dimidiam, ſacchari rosati ex rubeis rosis conditi uncias ſex, acetositatis citri uncias decem, fac electuariũ. Raimundus & Arnoldus, theriacales quaſdam pilulas tribus modis cõponũt. Primo, Sume boli armeni drachmas tres barbæ tormentillæ drachmas duas, barbæ herbæ tunici drachmam unam, ſacchari ad pondus omnium, fac pilulas. Item, Sume ambræ drachmam dimidiam, muſci ſcrupulum unum, camphoræ grana ſex. Item, Accipe ſmaragdi, hyacinthi, topazij, ana partes æquales, triturentur & lauentur ſicut abluit Meſue lapidẽ lazuli, fac pilulas cum ſucco acetoſellæ. Dicunt huiuſmodi lapides ab antiquis appellari Bezoar, id eſt liberatores mortis, & quod in hoc theriacam excellunt quod ipſa uenenũ à ſe pellit, non trahit ad ſe: huiuſmodi autem lapides utrunq; faciunt, ideo debent per os adminiſtrari. Etiam poſſunt ſuperponi plagæ, morſuræ, & bullæ uenenoſæ. Hac etiam utuntur compoſitione, ſcilicet auri optimi, margaritarũ, ſerici crudi triti. Laudant etiam electuarium diambræ, de gemmis & chera

Lapides Bezoar.

mes Mesue: laudant granata, rubinos, carbunculos, sapphiros, palladios, corallos, grana tinctorũ, & lapidem inuentum in capite aspidis, & pariter cornu suũ, & cornu unicorni. Item electuarium lætificans Almansoris cum re aliqua refrigeratiua. Vtere etiam rebus sanguinem clarificãtibus, ut sunt lupuli, myrobalani, fumus terræ. Credo quod uti semine iuniperi cum semine myrti sit multum utile contra huiusmodi uenenum. Item tale electuarium. Sume citrum unum integrum, maceretur bene & coquatur cum saccharo & aqua rosarum. Et ubi non habetur citrus, fac cum limone seu pomo anarancio integro: multi utuntur uerbena. Sum dare solitus pauperibus parum panis bene tosti, intincti aceto cum modico rutæ & aliquando cũ cepæ portiuncula, do etiam nonnunquam ad superbibendũ parum uini puri. Item eiuscemodi panem tostum intinctũ aceto rosato cum pauculo cinnamomi, quãdoq; superfumendo pomum arancium, & parũ boni uini. De his quidem rebus administrare poteris, modo unam, modo alteram, his scilicet diebus quibus theriacam non sumis, nec ueras pilulas uel etiã illis eisdẽ diebus post uesperas. Vti etiam poteris sero, ieiuno stomacho, parũ istius nostræ confectionis. Capc sacchari rosati, diamarenati ana uncias quatuor, coriandrorum præparatorum, corallorũ rubeorũ, ana drachmam unam, cinnamomi drachmas duas, sed æstiuo tempore drach. unã,

Sand. tis citri

ſandalorum rub. croci ana drachmã dimidiam, uerum in æſtate croci ſcrupulum unum, confice cum acetoſitatis citri uncijs quatuor, ſuperbibe parum uini optimi, uel accti roſati. Poteris etiam uti eo matutino tempore aliquando loco prædictarũ. Dixit Raimundus, quod ſuo tempore iuncti fuerunt Saturnus, Iupiter, et Mars in undeuigeſimo gradu Aquarij, anni milleſimi tricenteſimi quadrageſimioctaui, in menſe Martio, quæ quidem coniunctio horribilia ſignificabat, præſertim graues peſtilentias frequentius per ſpacium annorum quadragintaquinque, eo quod fuerit in ſigno humano fixo in domo Saturni. Inter quas erat peſtilentia illa anni quadrageſimi octaui, ubi Medici Pariſienſes & ex Auinione, & Pedimontani nouam compoſuerunt theriacam ab ipſis expertam, & cum felicitate eos conſeruauit. Arnoldus Receptam conſcripſit, quam Raimundus eiuſdem diſcipulus his uerbis recitauit. Sume ſeminis uniperi drachmas duas cum dimidia, chariophilorum, macis, nucis muſcatæ, zedoarij, zinziberis, ana drachmas duas, ariſtolochiæ longæ et rotũdæ, barbæ gentianæ, tormentillæ, barbæ herbæ tunici, dictami, inulæ campanæ, ana drachmã unam cum dimidia, ſaluiæ, rutæ, ſeminis balſamitæ, mentæ, pæoniæ, pulegij ceruini, ana drachmã unam, doronici Romani, baccarũ lauri, ſeminis acetoſæ, ſeminis citri, baſiliconis, maſticis, thuris, boli armeni, terræ ſigillatæ, ſpodij, oſſis

de corde cerui, rasuræ eboris, & cornu unicorni, margaritarum, sapphiri, smaragdi, corallorũ rubeorum, ligni aloës, sandalorum rubeorum, hyacinthi, topazij ana drachmam dimidiam, sacchari rosati, diaborag. diabuglossati, dianenufarati, diaacetosellati, pulparum tamarindi acetosi, theriacæ, ana drachmam dimidiã, sacchari libras tres, fac electuarium aut morsellos, cum aqua scabiosæ & rosata parum camphorata et cũ uino cydoniorũ, addendo fòlia auri quadraginta. Qui sitim patitur extra cibũ, utatur acetosa simplici cum pauxillo aquæ frigidæ uel uini maligranati acetosi cum iuleb rosato, uel uino acetoso. Possis etiam exprimere acetositatem citri uel limonis, uel pomi ana rancij, & bibere cum aqua & saccharo. Item succi rosarum, sacchari rosati, diamarenati, diaprunis, diacydonitis dissoluti cum aqua colata et expressa, bibendo cum aqua frigida. Item rosæ, myrobalani, tamarindi, cerasa acetosa, pruna persica sicca, cydonia trita, dissoluta, colata & expressa, bibe cum aqua & saccharo, ponendo plus de saccharo ubi minus est de calido, & minus de saccharo ubi plus fuerit de calido. Item succus rosarũ cum uino granatorũ: item oxysaccharata cum aqua frigida recenti. In pluribus etiam rebus proficuum est uinum cydoniorum. Vti herbis cor ipsum sua uirtute respicientibus, utile est, ut sunt borago, buglossa, melissa, endiuia ac mentæ parum. Item

septem

Septē herbæ principales cōtra uenenum.

ſeptem principales herbæ quas contra uenenum plurimum ualere fertur, quarum prima eſt herba hypericon, alio nomine Perforata: ſecunda eſt herba dicta uincetoxicon, tertia enula, quarta raphanus, quinta dictamus, ſexta ariſtolochia, ſeptima lactucella. His additur ab Arnoldo & Raimundo, herba tunici. Nec prætermittenda eſt agrimonia, acetoſella, cichoria, marrubium, hyſſopus, ſcabioſa, pentaphyllon, capparis, limones, citrulli, arancij ſcilicet quos poma aurea uocamus: & uniuerſaliter cuncta acetoſa, & quæ ponticitatem quandā participant. Scias floſculos uitis multū conferre, ſi eis in cibo & potu atq; electuarijs uti conſueſcas, pariter & aqua ſcabioſæ, necnon meliſſæ, in his omnibus quæ ſanis ſimul et infirmis adminiſtrātur mirabilis eſt, eo quod humiditates exiccet uenenoſas. Et ubi in deſiccādo refrigeratione multa opus ſit, utendum potius eſt aquis endiuiæ, roſarum, plantaginis, aceto roſato, uel aqua, uel ſucco acetoſellæ, ſucco limonum, cedri, aranciorū, cichoriæ, pimpinellæ, fumi terræ. Quum uero temperatis uti oportet, accipe aquam boraginis & bugloſſæ, ſingulis decoctionibus impone pruna damaſcena, myrobalanos, & tamarindos. Et hoc memori ſerua mente, quod cūctis in remedijs q̄ bene conueniunt hæc quatuor, uidelicet uinū album, acetum album roſatum, aqua roſata, omnia æquali ponderе, crocus pauxillula quantitate. Vbi abſq; mora ac cū

facilitate quadam operari necesse fuerit, administrabis quæ opportuna sunt in forma subtili & liquida, uel ad suprabibendũ dato quæ prædiximus. Inquit Raimundus, quod si tandiu differri potest ut præmemoratarũ fiat compositio pilularum, melius esse ut exhibeantur pilulæ quàm pulueres, tum quia huiusmodi compositio melius fermentata est, qua quidem fermentatione ultra complexionalem, specificam quoq; contrahit uirtutẽ: tum quia permanendo in stomacho magè conseruat, roborat, confortat, ac melius discurrit per corporis remotiora, suprabibendo parũ alicuius liquidæ substantiæ, & multum abstinendo. Nec tamen ideo uolumus ut pilulæ sint ualde siccæ ac induratæ, imò si tales fuerint, decet ut reformentur. Congruit sanguineis phlebotomia, uidelicet extrahere sanguinem, ut conseruentur, si aliâs nullum ex se fluxum sanguinis haberent.

Sanguinei. Sanguineos eos intelligo qui decenter carnosi, colore rubei sunt, pilosi, robusti, qbus uenæ amplæ, et qui rebus ueścũtur multi nutrimenti. His inquã, extrahatur sanguis ex basilica dextra, inde post bimestre spacium fiat iterum minutio ex basilica sinistra. Nec una prouice excedas põdus libræ. Fiat etiam temporibus annitẽperatis, ac luna in bono et fortunato aspectu existente. Sanguis purus minuitur oriente Sole, cholericus in meridie, melancholicus in occasu, phlegmaticus in medio noctis. Vult ideo Raimundus, ut iuxta ordinẽ Auicennæ,

cennæ, secundum quatuor ſpecies ſanguinis prænumeratas, obſeruẽtur in extrahẽdo illæ quatuor horæ. Cognoſcuntur autem hæ ſpecies, primo per earundem ſigna, deinde iuxta quatuor ætates quibus dominantur, ſuccedẽdo ordine prædicto. Et ubi nõ apparuerit multa ſanguinis abundantia, uult ne penitus minutio fiat, nec cauſa conſeruationis, nec curæ. Et quũ extrahere uolueris, cura ut die præcedenti fiat clyſtere, & exhibita ſit aliqua medicina non ſolutiua. Nec prætermittendum duco, quod ubi ſanguis ad alios multum declinat humores, minime ſit euacuandum. Memineris Galenum & Auicennã, quanto magis medendi artem exercuere, tanto ſemper timidiores erga phlebotomiam eſſe factos, eo quod plus trahit phlebotomia ex naturali & bono, et ex ſpiritibus, quàm ipſa medicina: ac minus temporis concedit ad diſcernendũ malum ſanguinem à bono. Conferunt infantibus & pueris ea quæ cõtra uermes ualent, quorũ his potiſſimũ temporibus imminet periculũ, adminiſtrato illis in potu ſemel in hebdomada dictami drachmam unam cum uino aliqualiter ſtyptico, ſiue cum uino decoctionis abſynthij & nigellæ, aut ſeminis ſancti. Illiniatur item ſtomachus, umbilicus, gula & pectus, oleis herbiſq; amaris et huiuſmodi, quandoq; etiam exhibebis pilulas de reubarbaro. Verum quia multum humida complexio, multũq; calida periculoſa eſt tempore peſtis, opus eſt refrigera

tione, deſiccatione, & frequenti euacuatione, quæ quidem ſecundum opportunitatem cũ moderamine fiant. Hunc defer ſacculum cordi applicatũ. Sume roſarum rubearũ drachmas duas, ſandalorum rub. corallorum rub. ſpodij, ana drachmã unã, zedoariæ, ligni aloës, cinnamomi, chariophilorũ, corticum citri, croci, ana drachmam dimidiam. Eſto diligens ut omnis expurgetur ſuperfluitas, ac cura ne ſtypticus maneat uenter, ſiſq; tardus ad ſolitas conſtringendum expurgationes, uel fluxus ſiue ſuperfluitates, hæmorrhoides, ſcabies, naturales ſolitoſq; ſudores, plagas uetercs apertas, quibus ſine moleſtia profluit humor, lachrymæ, ſanguinẽ è naribus fluentem, ſolitum & ordinarium, uniuerſales guttas & huiuſmodi, quoniam hæc dicta expurgamenta ſecuriorem reddunt à morbo. Admoneo rerum publicarũ gubernatores (ſecundũ Hippocratis experientiam) ſi fecerint ac ordinarint ignes & fumigia ex iunipero, myrto, terebenthina, et thuræ, mane & ſero ante poſticas, quarunq; ædium, domuum, & habitationum, ſtatim expelleretur ab eo loco peſtis. Valet loco iuniperi, laurus, ſaluia, roſmarinus, & herbarum quicquid eſt odoriferarũ. At terebẽthina mirabilis eſt. Multi Doctorum dicunt, ignem ſemper fore tempore peſtis utilem, eo quod omnem diſſoluit uaporem. Inquit Raimundus utendum eſſe confortantibus ſolũ, quum groſſi apparent uapores & humidi. Calidis temporibus ſuperare

perare debent odores in frigiditate alios: è diuerſo quũ tempora frigida ſint et humida, roſæ, ſandali, myrtus, camphora, cortices pomorũ, mala granata calidos cõ temperant odores, ſimiliter acetum, & uirides herbulæ frigidiuſculæ. Conſuluere Magi Perſarũ regi pro ſui defenſione ab omni ueneno morboq; uenefico, ſculpi faceret in lapide Hæmatite hominẽ flexis genibus ſtantem, cinctum ſerpente, dextra eius caput, leua caudam ſerpentis tenentem, et imprimi ligariq; faceret hunc lapidem in anulo aureo, uerum lapidi in loco capſulæ ſupponi barbam ſerpentariæ, quem quidem anulũ geſtaret in digito. Laudat Auerrois hircinæ odoramentum urinæ. Moneo ut continuis utaris remedijs quũ fueris in loco infecto uel propè, eo quod cõtagio frequens eſt, infectusq; aër continuè noxius offendit. Volo diligenter aduertas, quũ fuerit coniunctio Solis & Lunæ, quumq; oppoſitio, id eſt quando eſt plenilunium: Item quando coniungitur Luna Saturno, & magis quando coniungitur Marti. Item quum fuerit in quadra cũ dictis Planetis. Et nota (ut refert Raſis) fortiter moueri ſolet uenenũ huiuſmodi peſtilentiæ in Solis ortu, in occaſu, in meridie, et medio noctis, quia Sol quatuor his uicibus mutationem cauſat in aëre. Regnat in Vere, in Aeſtate magis, plus in Autumno. In Vere eſt aër calidus & humidus, & accedit ſanguinis dominiũ. In æſtate cholera, calidus aër multum aperit & penetrat, de-

bilitantur corpora, rebus replentur corruptibilibus, materiam humidam aëris caliditati in putredinem tribuentibus. Qui quidem calor si tam intus quàm extra cum siccitate foret, parum abesset, quem admodũ etiã haud multum nocet humidum cum aëris tum complexionis frigiditati adiunctũ. Sed ualde periculosum est ubi calidum humido permixtum fuerit, ucl foris uel intus. Experimento compertum habuimus, quod longa siccitas calido minuit tempore pestem: at frigido excitat, affert. Deniq; in autumno augmentatur fructuum repletio, ac corporũ debilitas, aër tenuis est ob æstatẽ præcedentem uaporũ facili susceptiuã, quos non resoluit propter caloris diminutionem, deinde nebulosus est ac uariabilis. Sæpenumero uentus adest grossus & humidus, excedit caliditas humiditatẽ, & frequenter aduenit, augmentaturq; pororũ oppilatio propter aëris crebrò post calidum præcedens, frigiditatem. Sciendũ etiam quod quũ pori ualde oppilati sunt, cõprimunt putrescibilem ad intra materiam. Ecõtrariò quũ plus æquo aperti, repente nimis uenenosum capiunt aërẽ, ita ut nonnunquam (maximè post sudorem uel coitũ) paucis (ut gladius) occidit horis.

De modo curandi secundum rationem physicam. CAP. VII.

IN pestilentiali febre non expurgato ueneno, caue ne administres intus nec extra res partium pectoris simpli

ſimpliciter aperitiuas, eo quod aditum præbent uene-
no ad cor, & ſpiritibus uiam aperiunt exhalationis:
ſed ut inflãmatio prohibeatur & putrefactio, utere ſu-
bitò aliquantulum infrigidantibus et multum deſiccan-
tibus. Roborant nanque cor, & uias claudunt uerſus
ipſum tendentes, ne uenenum ad illud perueniat: pro
parte etiam bene purgandus eſt humor, & ſpiritus nu-
trimento ſæpius recreandi, & quæ contra uenenũ ua-
lent continuè adminiſtra, id quidem ſua natura cor pe-
tit. Quod ſi differas donec uenenum eò peruenerit, for-
taſſe fieri poterit, ut partes cordis multũ inde conſtrin-
gantur, quas quidem denuo aperire quàm proficuum,
plus forte noxium periculoſum'ue eſſet. Igitur quũ pri-
mum caput omniáq; membra grauari ſimul adiuncta
febre quiſpiam perceperit, uide ex ſignis ne mendaci-
bus ambiguisq; fidem habeas, nec differas quousq; ap-
pareat inflatio uel bulla. Sed hæc quũ eminent, eo ci-
tius quo poteris cõfeſtim inungas oleo de ſcorpionibus
& theriaca, pulſus temporum, manuum & pedũ, na-
res, occiput, gulam, pectus & locum circa bullam &
apoſtema ſi apparuerit. Vera olei compoſitio talis eſt.
Sume olei oliuæ annorũ quinquaginta uncias octo, im-
ponas ſcorpiones numero quinquaginta, ſimul cũ oleo
bulliant ita ut fundum petant, quod facias in æſtate, &
maxime menſe Auguſti, ſerua & utere, eſt enim mira-
bile contra uenena. Quod ſi ſtomachus cibo grauatus

Olei de Scorpionibus cõfectio

fuerit, prouocandus est uomitus cum facilitate, cũ aquæ tepida, aceto, & oleo, etiã cum raphano, tentando etiã prouocationem cum penna, & statim postea facias clysterc. Et renouabis omni die maluarũ decoctionem & matris uiolarum, bletæ, hordei, lactucæ, camomillæ, mellis uiolati, sacchari rubei, uitelli unius oui, diasenæ uel casiæ unciam unam, succi rosarum solutiui drachmas duas, salis cõmunis & olei uiolati quod satis est. Hoc facto, applicabis epithema cordi ex rebus cordialibus frigidiusculis à prædominio. Sume aquarũ rosarũ, buglossæ, acetosellæ, nenufari, ana drachmas duas, aquarum melissæ, succi granatorũ medij saporis, acetositatis citri, ana drachmam unam, succi cydoniorum unciam unam, sandalorũ alborũ rubeorum & citrinorum, ana drachmas duas, spodij rasuræ eboris, seminũ citri, seminis acetosæ, ana drachmam dimidiam, granorum tinctorũ grana sex, camphoræ drachmam dimidiam, conterantur bene omnia, & calefiant in uase uitreato puro. Post cũ panno de Grana temperate calido superponas pectori, singulis tribus horis ipsum renouando. Item pro stomacho hanc habeto in sacculo cõpositionem, ad ũuificandum & roborandum spiritus eius. Sume absynthij, mentæ, ana manipulũ unum, melissæ acetosæ, ana manipulũ dimidiũ, rosarũ rubearum unciam unam, corticũ citri, risi, ana drach. tres, coriandrorũ præparatorũ drachmas duas, corallorũ

rub.

rub. maſticis, ſandalorum rub. ana drachmam unam, macis, foliorũ chariophilorũ, ana drachmã dimidiã, nucum cupreſſi numero quatuor, componas cum ſucco cydoniorũ. Item ſub brachijs hoc remediũ adminiſtra bis. Sume roſarum, florum camomillæ, meliloti, florũ myrti, nucũ cypreſſi, ſandalorũ, omniũ in debita quantitate, bulliãt in aqua cui intingatur ſpongia uel ſtupa, quæ poſtmodum exprimatur, & temperate calida applicetur, ſæpiuſq; renoua: Iſtud enim mirabile eſt.

Cucurbitularum uſus, & curandi ratio per ſanguinis miſſionem.

CAP. VIII.

His factis & debite, ut dictum eſt, adminiſtratis, ſi bulla uel ſignum in tibijs adhuc nõ apparuerit, duas confeſtim natibus uentoſas applica, & duas pariter coxis à parte poſteriori. Voluere ueteres ut poſt huiuſmodi uentoſarũ depoſitionem fieret phlebotomia. Et ſi bulla uel ſignum ſolitum non apparuerit, fiat ex uena cõmuni à parte dextra, ad prohibendum, ne uenenum partes cordis attingat: & ſi etiam apparuerit huiuſmodi ſignũ uel bulla, eodem in latere extrahendus eſt ſanguis, & hoc ne ſe extendat dilatetq; uenenũ (ut ſemper ſolet) per omnes uenas ac corporis partes. Quod ſi circa aures apparuerit, uel collũ, minuatur ex cephalica in parte qua ſignum, iuxta pollicem manus. Si ſub axillis apparuerit, euacuetur hepa

tica in brachio eius partis in qua signum. Si in inguinibus, fiat phlebothomia ex saphena, hoc est sub talo pedis eiusdem lateris. Deniq; in uniuersali, quoties ab origine gulæ ad caput usq; huiusmodi signum appareat, fiat minutio ex cephalica in parte signi apparentis. Si ab ea parte usq; ad umbilicum ante uel retro, fiat pariter phlebothomia ex hepatica. Si ab umbilico infrà, debet minui saphena modo quo suprà. Et phlebotomandum est quàm citius fieri potest, saltem quum primo apparere incipit apostema. Intrepide autem bonam quantitatem extrahi facias, nisi patiens forte modici fuerit sanguinis extractis duabus uncijs uel circà, siste paulum, ut dijudicari possit an bonus sit sanguis uel ne. Si malus, extrahere poteris copiosius: si bonus, parcius. In debilibus & sanguine nõ multũ abundantibus sufficit extractio duarum unciarum. At febrilis tempore rigoris id minime feceris. Patiens autem quum fit sanguinis minutio, deguste uel ore teneat pomum anarancię & acetosa quæq;, naso, fronti, ac temporum pulsibus acetum applicando, hic nam cõmunis phlebotomandi est modus. Fulgineus Gentilis plurimũ laudat id quod iam diccmus, ut rem quampiam expertam. Si solitum apparens apostema uenerit circa spatulas, applicandæ sunt uentosæ ubi iunguntur ipsæ spatulæ, minutio autẽ fiat ex mediana quæ dici solet cõmunis & nigra. Si apparuerit in collo uel capite, minuatur cephalica iuxta

pollices

pollices manuũ. Si ſub uel dextro in brachio, phlebotomandus eſt de uena pulmonis inter medium & anularem eiuſdem lateris digitum. Si circa brachiũ uel latus ſiniſtrum, ex uena Saluatella inter dextræ manus paruum & anularem. Si in inguinibus uel in ſiniſtro latere, ex uena Paralytica minutio fienda eſt inter poplitem pedis & alium propinquum eodem in latere. Si appareat in tibia uel pede dextro, ex uena ſic dicta Vena mulierum. Solent doctores Hiſpani & Catellani prima poſt factum clyſtere uel ſaltem ſecunda die, facere phlebotomiã duabus interpolatis uicibus. In ſanguineis robuſtis ac bonæ ætatis hominibus primo die ſic faciunt: Primo extrahunt ſanguinẽ in parte oppoſita, eo quod humor in motu adhuc exiſtat, nec iam ueneficus factus eſt. Si apoſtema ſub brachio ſiniſtro apparuerit, minuunt ſubitò à manu dextra uncias ſex uel quatuor, uel ex cauilla pedis ſiniſtri uncias tres. Poſt uero horas ſex uel octo recreato patiente atque quieto, extrahũt à ſiniſtro brachio uncias ſex uel quatuor aut tres iuxta cõpreßionẽ & urtutẽ uenæ groſſioris, quoniam ea opportunius phlebotomiã expoſcere ſe monſtrat. Eaiuerſo faciũt ubi apoſtema in inguinibus apparet, primo quidẽ minuunt in brachio eiuſdem lateris, ſecundo in pede illius etiã eiuſdem partis ex Saphena. Verum ſi patiens haud multũ robuſtus fuerit, nec ſanguine abundans, attamen naturalem habet decenter ui

Hiſpanorũ medicorum in ſanguinis miſſionc modi.

gorē uirtutisq; constantiā, aut sit ut iam existat in fine secundi, uel in tertio die, quū iam ueri simile sit materiā ipsam suum cursum motumq; cepisse, iamq; ueneno infectam esse, euacuant uncias duas uel quatuor à latere apostematis loco apostemati quàm sit possibile propinquiori. Si post aures extiterit, minuūt ex Cephalica eiusdem lateris. Quod si hæc ipsa haud ita facile cō prehendi possit, fiat in Mediana uniuerso corpori cōparticipante. Quod si nec ista pateat, fiat in manu eadem ex uena quæ est inter pollicem & indicem. Similiter autem faciunt à medio secundæ diei ad sequentes, sed ab initio ad medium secundi facerent phlebotomiā ex parte oppositā, similiter à primo ad medium secundi. Si apostema est sub brachio, euacuandum est ex uena eiusdem brachij, & ex uena cōmuni, uel saltem ex hepatica, aut eiusdem manus infra digitum medium et sibi adhærentem. Si in eodem prædicto tempore signū ipsum in inguinibus fuerit, incidas uenam sub eiusdem lateris genu, aut sub cauilla eiusdē pedis. Si signū uergit uersus nates, mitte sanguinem de grossiori uena, & magis apparente in dorso pedis eiusdem lateris. Istoriū quoque modus est, quod citra secundæ dimidium diei, incipiunt utplurimum in latere opposito sanguinem extrahere, ultra uero ut plurimum in contrarium.

Nos autem ad canones nostros uniuersales accedamus. Quia eiuscemodi morbus uel est in ipso sanguine, uel

in

in humoribus sanguine permixtis: ideo mihi uidetur extrahendũ esse sanguinem omnibus, ab annis quatuor decim usq; ad sexaginta, ratus multo satius fore, ut uenenum quod per uenæ apertionem expiret, quàm sanguinis effluxu magnopere cruciari. Extrahe ipsum ite rata uice cum sex horarum interstitio. Robustis autem corporibus & sanguine multũ abundantibus, extrahe ad summum, libram unam: Mediocriter uero robustis, & mediocriter sanguineis adusq; uncias octo: debilioribus autem constante pulsu, uncias quatuor uel tres, siue duas aut saltem unam. Vbi uero dominium cholera obtineat, non excedat uncias extractio duas. Multi extrahere præcipiunt, quousq; nõ debilis, debilitetur. Hoc autem mihi minime placet, quandoquidem spiritus dissoluit. Vbi pulsus uacillat, nil prorsus extrahendum. Maior uero mihi est cura ut prius appareat apostema, etiam postmodum prouocentur hæmorrhoides frictionibus factis cum rebus asperis, & succo cæparum, cum uentosis & scarificationibus, et sanguisugis. Vbi sanguis abundat facias idem post alteram uenæ sectionem. Vbi autem modicum fuerit sanguinis, saltem id feceris.

De medicinis uenenum dissoluentibus & ad extrà trahentibus. CAP. IX.

Quidam ut primo semel euacuatus est sanguis, applicant epithema. Verum sapientiores id

agunt à principio, sæpiusq; renouant, uidelicet à tertia in tertiam horam, apponunt temperate calidũ cum panno coccineo. Descripsimus unum supra, alterum hoc est. Sume aquarum rosarum, aquarũ endiuiæ, buglossæ, melissæ, ana libram dimidiã, aceti uncias duas sandalorum, rosarum, corallorũ, ana drachmas tres, spodij drachmas duas, margaritarũ, hyacinthorum, sapphiri, ana scrupulũ unum, been albi & rubei, ossis de corde cerui, seminum citri, ana drachmam dimidiã, musci scrupulum dimidium, camphoræ, croci, ana scrupulum unum. Si insolitam in patiente noueris caliditatem, fac ut ungatur hepar, & regio renũ, ungento sandalino, bis in die. Inde post horas quatuor (more consueto & ordine) exhibendæ sunt pulueris contra morbum drachmæ duæ uel una cum albo uino & aquis endiuiæ, necnon acetosellæ, pariter & theriacæ drachmæ duæ, uel saltem una. Post hunc ipsum potum coadiuua cum pannis, & fumigijs calidis, naturam ad sudorem. Nec erraret qui theriacam solam administraret: ueruntamen plus in usu est eam dare cum pulueribus. Addunt nonnulli acetum, & id mihi haud displiceat: placet quoq; eam sæpius administrari. Et utilis est simul cum theriaca, aqua scabiosæ & melissæ, ubi nõ multa adsit caliditas. Antiqua cõtra morbum pulueris talis est descriptio. Cape dictami albi, corallorum alborum, tormentillæ, boli armeni, gentianæ, ana unciam

tiam unam, terræ ſigillatæ unciam dimidiã. Modernior hæc eſt. Sume barbam dictami, barbam tormentillæ, agrimoniæ, ligni aloës, boli armeni, ualerianæ, lapatij, ſandalorũ rubeorũ, ana partes æquales, barbæ ſcabioſæ ad pondus omniũ, miſce cum ſanguine tauri deſiccati ad ſolem & deſtillati. Alia deſcriptio. Sume ſpodij, dictami albi, gentianæ, tormentillæ, granorum iuniperi, ſeminum citri, carlinæ, ana drachmas quatuor, foliorum albatri uncias duas. Tertia deſcriptio. Sume tormentillæ, dictami albi, cornu cerui uſti, zedoariæ, ana drachmam unam, margaritarũ, coralorum rub. ana ſcrupulos duos. Quarta deſcriptio. Sume tormentillæ, dictami albi, boli armeni, camphoræ, margaritarum, ſandalorum rub. cornu cerui uſti, ariſtolochiæ rotundæ, ſacchari albi, ana drach. duas. Quinta deſcriptio. Sume tormẽtillæ, dictami, ana drachmas duas, ſeminis acetoſæ, ſeminum citri, ana drachmas tres, zinziberis albi, cinnamomi, croci, ana ſcrupulum unum, boli armeni, terræ ſigillatæ, ana drachmas duas cum dimidia, ſacchari uncias duas. Hic puluis multum (ut fama eſt) ualet contra uenenũ, tam ante quàm poſt adminiſtratus. Sexta deſcriptio. Sume radicum tormentillæ drachmas duas, ſandalorũ rub. dictami albi recentis, cornu cerui uſti, margaritarũ, boli armeni, ariſtolochiæ rotundæ, ana drachmã unam, camphoræ drachmam dimidiam, ſacchari albi, drach

mas duas, pimpinellæ, myrrhæ, zedoariæ, ana drachmam unam, sandalorũ, terræ sigillatæ, ana drachmas duas, seminum citri, croci, ana scrupulũ unum, cornu unicornis, hyacinthorũ, ana drachmã dimidiã. Hi pulueres uigorem præstãt cordi, aduuantq; ipsum in expellendo à se uenenũ, putrescibiles humores desiccant, cohibẽt uias cordis ne uenenũ ipsum attingat: frequenter etiam uenenum expellunt per uiam sudoris. Experimento compertum habetur priorem, quam diximus antiquam, descriptionem, ac inter modernas ultimam cæteris esse multò ac longe efficaciorem. Sunt quidam qui post uomitus prouocationem (si ea opus sit) facto etiam clystere et inunctione, primo exhibent pulueres atq; epithema: post cuius operationẽ tunc primũ euacuant sanguinem. Id autem faciunt ubi patiens sanguinis multum habuerit, nec forte in hoc errant. At ubi fieri non posit sanguinis extractio, tum defectu sanguinis, loco phlebotomiæ exhibent medicinã, prius tamẽ pulueres. Postquàm sudauerit infirmus aut debitum sudoris tempus elapsum fuerit, nõ expectanda est humoris digestio, quoniam non adest temporis mora atq; facultas pro celebranda digestione. Equidem quũ necessitas immineat (siquidẽ ea ipsa nõ subest legi) minime obseruanda est cõsueta temporum discretio atq; dierum. Nec confidendũ est spe aliqua in operæ naturæ ad euacuationem enitentis, quoniam irregularis est propter

indiges

indigestionem impetumq; ueneni, equidē oppressa natura ut potest plus operatur quàm debeat. Post ideo cō petens sudandi tempus, uel sanguinem si abundat minues, uel non abundante dabis purgationem, ex rebus tamen nō cōmouentibus stomachū. Factus enim cū uiolentia uomitus pectoris dilatando uias facit ut ad cor uenenum percurrat, trahitq; ipsum ad cerebrum. Hac de causa errant qui capraginem & res huiusmodi exhibent uomituas & uenenosas: Vix enim uni resistere potest natura ueneno. Posset forte nobis quispiam opponere cur uenenatos ad uomitum producere physici soleant? Dico nō parem esse uenenorū conditionē: cætera enim plus habent materiæ, & ad educendum aptiora per uomitum, & sunt in stomacho, istud uero uapor est quidam uenenosus & in partibus pectoris. Nulla igitur adsit medicina quæ uomitum uiolenter producere possit, ad eum qui nulla cū uiolentia damnarē minime. Approbatum tamen magis, ut per inferiora diuersio fiat. Dissoluatur, quam dabis, medicina in uino albo, et aquis scabiosæ, endiuiæ, rosarum, plantaginis, buglossæ, melissæ, aceto rosato, in quibus facta sit decoctio ex prunis Damascenis, myrobalanis, tamarindis. Si autem morbus inuadit aliquem stomacho repleto, quid nam faciendū erit iuxta ordinem modernorū? Fac ut post unctionem cum oleo scorpionum & theriaca faciliter uomat, cum aqua tepida, aceto, oleo, & suc

co raphani, tentando etiam prouocationem cum penna longa, deinde administrabis clysterе, postmodũ epithema, & de ipsis pulueribus. Deinde tẽpore quo iam quietior & restauratus egrotans fuerit, uenam seces, si est sanguineus: sin minus, administra medicinam. Et si in phlebotomia ultra quatuor sanguinis uncias extraxeris, abstine à medicina quousq; transactæ sint à phlebotomia horæ duodecim. Et licet phlebotomiam pereageris, spem tamen non ponas in sola ipsa, præsertim in plethorico, sanguineo, & robusto corpore. Quinimo & in alijs quibus parũ sanguinis extraxisti, etiã propinanda est suo tempore medicina iuxta complexionis qualitatem & uirtutis. Similiter si prius medicinã dederis, non eris ea contentus, si fuerit plethoricum corpus, uirtute consentiente, phlebotomiam quoque tempore & modo iniunge. Et hanc distinctionem facies, scilicet in administrando unum & alterum, ubi id possibile & conueniens. Sed ubi sanguis abundat, præcedat phlebotomia & sit copiosior: ubi uero sanguis non abundat, medicina præcedat, & phlebothomia sequatur, modica tamen, scilicet potius euentandi quàm diminuendi causa. Post tertium diem nulla fieri debet sanguinis extractio, nisi te ad hoc sanguinis multitudo cõpellat. Quotiescunq; medicinam uel phlebotomiam seu uomitiuum administras, ad hoc ut eiuscemodi agitatione ipsum uenenum à signo non reuertatur ad intus, si signum

Si signum fuerit apparens, fac ut in tali cõmotione ponas sub & supra signum, uentosas & sanguisugas, & super cor epithemata frigida. Et antè et post propinabis per os ea quæ defendunt à ueneno, uidelicet theriacam, bolum armeni, smaragdos, hyacinthos, topaziũ, uel saltem alia gemmarũ genera, aut corallos cum succo herbarum contra uenenum. Quum facis purgationem exhibe medicinam cum modico croci in decoctione supradicta. Principalis & securior medicina secundum Persarũ Medicos, & Mesuen, est triferæ pẽrsicæ uncia una cum electuarij Hamech drach. duabus, uel ad minus Triferæ uncia dimidia, & electuarij Hamech drachma una uel dimidia. Sed maxime robustis datur uncia una cum electuarij Hamech drachmis tribus, & Persiani eam administrant cum aqua frigida uel succo solatri uel endiuiæ. De hoc sæpius audiui, & felix periculum feci iam præsenti anno. Vbi autem trifera & electuariũ hamech defuerint, propinabis diasenæ loco triferæ, & diamanna, uel succũ rosarum loco electuarij hamech modo prædicto. Experientiam feci & multæ utilitatis securitatisq; hanc compositionẽ reperi. Sume triferæ persicæ, pulpæ casiæ, ana unciam dimidiam, rcubarbari, diamannæ uel electuarij hamech drachmam unam. Sed ubi natura ualida est & uenter stypticus, dabis diamannæ uel electuarij hamech drachmas duas, distempera cum aquis bu-

gloſſæ, endiuiæ cum decoctionibus ſupradictis et aquis prædictis. Ego uero reubarbarũ in uino albo & aquis endiuiæ cum modico ſpicæ teneo per horã, quod do in ſubſtantia cõmiſcendo omnia ſimul, ſæpius etiam addo poſtmodum mannæ unciam unam. Conueniunt & pilulæ de fumo terræ, aggregatiuæ pilulæ, partes æquales, robuſtis quidem in toto drachma una, alijs uero in toto drachma dimidia, ſuprabibendo uinum albũ cum aquis endiuiæ, uel roſarum & ſcabioſæ. Etiam ipſæ ſolæ Aggregatiuæ in omni tempore, præſertim minus æſtiuo drachma una uel dimidia. Notandum ſi febris inhæret humoribus ſubtilibus & calidis, apparebit ſitis uehemẽs, gulæ ariditas, linguæ nigredo, acutus capitis dolor, phreneſis, uel ſimilia horrenda accidentia. Si autem groſſioribus inhæſerit humoribus, & minus furioſis, febris uidebitur lenta, & prædicta accidentia remiſſiora. Conſidera eiuſcemodi ſigna, et ſcias quod in quocunq; humore conuenit triſera cum agarico, & pilulæ aggregatiuæ uel ſolæ, uel cum pilulis de fumo terræ. Syrupus etiã ſolutiuus quem dicemus inferius, ſi fuerit in materia furioſa, etiam conuenit diaſenæ cum electuario hamech uel ſucco roſarum. Item caſia cum Reubarbaro, item manna cum diamanna in decoctionibus frigidis. Si eſt in materia groſſa frigida & humida, conueniunt robuſtioribus pilularũ aggregatiuarum ſcrupuli duo, pilularum de agarico ſcrupu

lus

us unus. Debilioribus uero diacatholiconis uncia una cum diafeniconis drachmis duabus, uel cũ agarici trochiſcati drachma una uel ſemis. Item de pillullis contra morbum dictis ſuperius, drach. una uel ſemis, & forte eiuſcemodi pilulæ conueniunt in quocunq; humore. Nota quod agaricus bene præparatus & trochiſcatus eſt ſingularis in hoc caſu in quocunq; humore et membro. Ideo quando certior eſſem de ſua præparatione uterer eo in omni medicina, dando drachmas duas, uel unam, uel ſemis de eius trochiſcis, iuxta potentiam medicinæ, & iuxta complexionẽ hominis. Et ubi dubitarem de eius præparatione, infunderem eum in oxymelle ſquillitico cum ſalgemma, & poſtea colando ponerem ſuper medicinam abſq; expreßione. Item notandum quod pilulæ aggregatiuæ ſunt appropriatæ, & loco illarũ debent adminiſtrari pilulæ Sine quibus, minus robuſtis. Et ſcias melius eſſe dare medicinã quàm pilulas in hoc caſu. Et ſi haberi poßit diamanna melior eſt ſucco roſarum & fortior. Et electuariũ hamech melius eſt ambobus, ſcilicet & diamanna & ſucco roſarum. Demum in omni humore mirabilis eſt iſte ſyrupus ſolutiuus loco medicinæ ad minus uncia una, & ad ultimum duæ, cum aqua roſarum & uino albo. Sume corticum citri, radicum capparis, berberis, ſandalorum rub. ſpodij, ana drachmas duas, chariophilatæ, meliſſæ, buglo ſſæ, boraginis, cichoriæ, ana manu- Agaricus.

pulum unũ, acetosæ praßij, hepaticæ, ana manipulum unum cum dimidio, scariolæ syluestris drachmas duas, seminis cucurbitæ, scilicet peponũ, citrulli, cucumeris, uiolarum, ana manipulũ unum, thymi, epithymi, agarici, reubarbari, senæ, polipodij, ana drachmas duas, succi absynthij, fumi terræ, ebuli & plantaginis, ana drachmas sex, myrobalanorũ chebulorũ drachmam unam, citrinorũ drachmam dimidiã, diagridij drachmas duas, sacchari albi libras duas, fac syrupum cum aceto cydoniorum. Iste syrupus à Doctoribus uocatur diuinus in conseruando & curando, quia statim abscindit humores putrescibiles, confortat membra principalia, pellit uenenum ad extra, & de eo plures uisæ sunt experientiæ. Inter cæteros Doctores Petrus de Tußigniana, & Gentilis Fulgineus, eum mirum in modum cõmendant, & mihi uidetur eum factum esse ad intentionẽ triferæ persicæ, sed magis solutiuus, & mihi sum mopere placet in personis non debilißimis, & non habentibus uentrem ualde lubricum. Sumatur semel in hebdomada à sanis & ægris. Nota quod post operationem medicinæ, aut phlebotomiam, si medicinã non administraueris die sequenti, propinatur theriacæ drachma una cum aquæ rosarum uncia una cum modico aceti rosati. Nec timeas theriacæ caliditatem, quoniam tam modica portio parum calefacere potest, eo quod qualitas elementaris, qualis est caliditas & similes,

les, quũ sint ualde materiales, haud multum operatur, nisi multa cum materia. Verum specifica uirtus utpote quæ donum sit cœleste, & quasi spiritale, multum operatur secundum Galenum pauca etiam cum materia. Theriaca autem à proprietate specifica operatur contra uenenũ, ac præter hoc, caliditatis secundũ uix perficit gradum, ideo longe potentior est ad uenenum expellendum, quàm ad calefaciendum. Febris item pestilentialis multo magis uenenosa quàm calida, at exhibenda est theriaca cum aqua rosarum, & etiam in cæteris curandũ est ut tendant ad quandam frigiditatem, quatenus hac ipsa uti ualeas. Potest etiam dari Mithridatum loco theriacæ, sed multo potiores ex theriaca uisæ sunt experientiæ. Ideo inquit Moyses Aegyptius narratum sibi esse à sapiente quodam Medico, se dum tempore pestis in Antiochia artem exerceret, ipsa re uerum reperisse, cætera remedia cuncta fore debilia, at solum qui monitu suo theriacam assumebant, tutos & superstites euasisse, cæteri nequaquam. Et hi tantũ qui ea post morbi inuasionẽ usi sunt, liberati fuere, alij uitam morte cõmutarunt. Per hoc confirmatur quod inquit Galenus in libello De theriaca ad Cæsarem, eam esse omnibus uenenis peraduersam, forecq; potentem, ubi cætera deficiunt ac sunt debilia. Hoc autẽ habet à uirtute quadam miraculosa. Sunt etiam qui urinã potu exhibeant, uel lixiuium, item succum cæparũ al-

barum cum aceto, haud scio quid mihi dicendum. Hoc moneo ne confidentiam habeas in purgatione postquã eam feceris, etiam si ex ipsa melius se habeat infirmus, sed quum æger melius habere uidebitur, tertia die aut quarta post purgationem, si multa adhuc adsit sanguinis superfluitas extrahe parum de sanguine, & reitera eandem medicinalem purgationem. Quod si nõ ad modum abundat, repete saltem puluere & medicinã, ne recidat in peius. Quidã exhibent euphorbiũ cũ mastice ac gũma elemi. Sume euphorbij drach. quinque, & scrupulũ unum, gummæ elemi uncias duas, masticis unciam unã cũ dimidia, dabis robustis ad pondus drachmam unam, debilibus scrupuliũ unum, cum aquis en diuiæ et scabiosæ. Est quidẽ periculosa medicina, nec nisi robustißimis appropriatur, ac nisi in principio. Asserũt nõnulli gummã elemi fore gummã arboris cedrini. Sciendum quod hoc in casu non debilis exhibenda est medicina, id est, quæ exilem faciat operationem, quoniã natura ipsa si prima medicina non bene sit operata, secundã non expectat. Nec tamen decet nimio impetu soluere, nam ex hoc resoluerẽtur spiritus, istudq; malum magẽ consistit in qualitate quadam uenenosa, quàm in quantitate materiæ. Inquit Gentilis Fulgineus se multa expertũ cum supradicto puluere, ab initio sic ipsum administrabat. Sume euphorbij drachmam dimidiam, masticis drachmam unam, dabat ex his scrupulos

pulos duos, & multum plethoricis drachmam unam. At mihi multo magis placet agaricus, quia, ut aiũt Democritus Galenus & Auicenna, ab omnibus membris aliquem trahit humorem, similitérque habet uirtutem quasi theriacæ, aduersus omne uenenum cor roborat, idq; ab omni ueneno expurgat, grossos principaliter purgat humores, nec relinquit tenues quoq; intentatos. Sit albus, porosus, rotundus, necnon et fractu facilis, duicis ac leuis. Sit quoq; modicæ amaritudinis & stypticitatis, bene tritus, & mixtus cum salisgemmæ parte tertia, et sic corrigatur cum salgemma, melle rosato colato, oxymelle squillitico, & uino infusionis zinziberis, & sic præparetur introchiscatũ. Et debilibus tutius est ut detur permixtus alijs rebus, quàm solus, et melius in decoctionibus quàm in substantia, quoniã frequenter longos producit uomitus, uentrisq; dolores, nisi bene electus & præparatus sit. Quod si debite fuerit electus & præparatus, est medicina sancta & familiaris secundum Democritum & Mesue. Felices nanq; fecimus (modo & ordine dicto) ipso cum agarico experientias. At circa euphorbiũ cõpertũ habuimus, quod ualde bonum nonnunquam fecerit opus, at sæpiuscule contrarium. Vniuersaliter & in summa sis celer in euacuando & frequens, obseruatis modo, & ordine. Frequentius infirmum recrea, quoniam spiritus aliâs plurimum resoluuntur, nec tantũ ea dato, siue cibariã, si-

Agarici boni substãtia qualis.

ue medicinalia, quæ solum mollificãt, sed his permisce refrigeratiua, deſiccatiua, & cordis confortatiua, quæ etiam ueneno reſiſtant.

De cibatione, & regimine ægrotantis.

CAPVT X.

Cibus esse debet (ſecundum Raſim & Auicennã quarto Canonis) frequẽs, modicus, leuis, elixus ac multi et humidi nutrimenti, conditus cum rebus acetoſis & frigidis, ut ſcilicet cum endiuia, acetoſella, acetoſo, agreſto, malis granatis, arancijs, limonibus, ceraſijs acetoſis, prunis. Cibi ſubſtantia ſint pulli, perdix, phaſianus, contuſum, conſummatum, deſtillatum, oua recentia, hœdinas quoque carnes non prohibeo. Summa, nutriatur rebus liquidis, humidis, & multi nutrimenti. Sic tamen nutriri debet ut natura toleret nec febres multiplicentur: plus enim multo quàm cæteris, hoc in caſu uberiori opus eſt alimento. Inquit Auicenna quarto Canone, quod uenarum repletio per nutrimentum prohibet uaporis uenenoſi aëris & humoris tranſitum, & quod hi frequentius liberentur qui intre pide nutrimento adiuuantur. Nota quod facto clyſtere ſolutiuo, de quo ſupra mentionem fecimus, ſi reſtauratione opus ſit alia, ſumat aliquid per os, facies ſolutionem uel cum enemate uel ſuppoſitorio, inde ad horas quatuor adminiſtrabis aliquid nutrimenti, de quo paulò ſupra diſſeruimus. Vinũ ſit album, ſubtile, odoriferum

riſerum, dilutum cum aqua ferrata, recenti ſaltem, parte æquali. Melior uero eſſet aqua aurata in qua aurum ignitum extinctum ſit, uel etiam extingui poteſt aurum in uino. Nõ ſinas eum pati ſitim, nec os exiccari, ſed continue fac ipſum gargarizare cum uino albo bene diluto. Res teneat in ore humidas, frigidulas, frequenter bibat de acetoſitate citri, & iuleb roſato, ana partes æquales cum uino granatorũ & aqua ſiue ſucco acetoſellæ. Vtilis eſt ſyrupus acetoſæ ſimplicis cum aqua ferrata, & pariter ſuccus cedri uel limonum ſiue aranciorum expreſſorum, hæc dabis cum aqua et ſaccharo fini, uel forte melius cum aqua hordei uel ferrata. Item ſaccharum roſatum aut diamarenatũ uel diaprunis & diacydoniten diſſolutum in aqua colatum & expreſſum, uel roſas, ceraſa acetoſa, myrobalanos, tamarindos, pruna, cydonia, perſica ſicca, trita & infuſa in aqua, poſt colata expreſſa & cum ſaccharo & aqua recenti exhibita utilia ſunt. Conuenit etiam acetum album cum aqua ferrata & ſaccharo ægris ſimul atq; ſanis. Confert etiã oxyſacchara compoſita cum aceto albo, ſucco granatorũ acetoſorum & ſaccharo. Prodeſt quoque ſuccus granatorum medij ſaporis, uel ſuccus ſiue uinum acetoſorum cum modico ſacchari, et aqua ordei cum uino granatorum. Bonum eſt anulos aureos in aqua tandiu confricare, ut aliquantulum rodantur per aquam. Item bullire aquam cum auro, &

ea uti in cibo & potu bonum est. Secundum Gentilem fieri fortasse potest, ut aurum ad formam reducatur liquidam aptam ad potandum, hoc modo: Sume auri unciam unam, argenti uiui uncias duas, misce & simul mixta maneant quousq; aurum dissoluatur, deinde imponas alembico cum igne lento, intantum quod argentum uiuum alembicum exeat. Postea excipias aurũ ex fundo alembici, & adde aquarũ bugloſſæ uncias quadragintaseptem, ponas in alembicum uitreum bene obturatum. Continuabis sub eo ignem per tres dies & noctes, ignem dico bene proportionatum, in fine si calueris artem, inuenies aquam minime consumptam, & aurum liquefactum, et hoc est aurum potabile cordialissimum, & digeri potest. Aurum quidem alia forma parum est utile, quia digeri nequaquam potest. Administrabis bis in die ieiuno stomacho ex his syrupis, scilicet de acetositate citri, de limonibus, de cichoria, de fumo terræ, ana drachmã dimidiã, cũ uncia una aquarum melissæ & succi acetosellæ. Item syrupi de agresta, de ribes, rob berberis, de cydonijs, de granatis medij saporis, de granatis cũ aquis endiuiæ & bugloſſæ. Item syrupi de endiuia cum aquis endiuiæ & acetositate citri, cum succo acetosellæ, & uino granatorũ acetosorum, item succum limonum, uel citri, uel aranciorum expressorum exhibendum cum aqua & saccharo. Non displiceret si loco aquæ administrares brodiũ pullorum,

pullorum, quod appellari uulgariter solet Piperata, aut perdicem coctam cũ agresta & endiuia exinde colata, cui mixtũ sit aliquid ex memoratis succis, cũ dulcibus cõtemperando acetosa, ueluti natura facit in granatis medij saporis. Etiam mala granata acetosa cum uino & succo suo sola, uel etiam cum alijs succis, condiantur bene omnia. Item succum rosarum, myrobalanos, tamarindos, saccharum rosatum & diamarenatum, diaprunis, diacydoniten, dissoluta in aqua, & colata & expressa, bibenda sunt cum aqua recenti. Item oxysacchara cum iuleb rosato & aqua ferrata. Item succum rosarum & acetositatem citri cum uino granatorum. Nota, syrupus acetosæ scilicet in quocunq; utilis est syrupo. Vbi non habeatur acetositas citri, exprime limones uel arancios, et cum saccharo tempera, & ubi maior adsit caliditas, maiori quantitate dabis acetosa: ubi minor, minori. Et ubi non habeatur syrupus acetosus, dabis acetum, aquam & saccharũ simul permixta. Album acetum melius est rubro. Item syrupũ hunc optimũ. Sume succi melissæ, boraginis, buglossæ depurati, ana uncias tres, aquæ rosarũ, aceti albi, ana unciam unam cum dimidia, acetositatis citri & limonum unciam dimidiam, saccharo albi libram unam, ex hoc propinabis uncias duas cum aquarum bugloss æ & acetosellæ uncijs duabus & dimidia, ex his utere quo placet. Et simul dato duos trochiscos de cam-

phora. Quidam sapientum loco syrupi hanc dant pō tionem. Sume aquæ rosarū libram unam, uini albi odo riferi libram dimidiam, boli armeni optime pulueri- sati & cribrati unciam dimidiam, pro uice una exhi- beto drachmas duas: est enim remedium & antiquum & potens. Experimentatores duobus potissimū utun- tur, uidelicet succo florum aranciorum cum uino in ca su & post casum, & semine Cardonis benedicti cum ui no, quia hæc sunt experta aduersus uenenum fungorū. Solent & hæc dare sapientes. Sume succi scabiosæ un cias tres, terræ sigillatæ drachmam unam cum modi co uini, item seminū citri drachmas duas cum uino bo no. Item ambram & charabe cum uino, item specierū coagulorū drachmam unam cum uino. Coagula sunt muccilagines quædā in certis ueficis, appensæ in uisce ribus hœdorum & leporū. Item radicem palmæ chri sti cum uino. Hæc, quibus (ut tradidimus) sapientes utuntur, remouent uenenū à corde. Conueniunt ad cō seruandum & curandū hæ confectiones. Multum con fide in hac nostra compositione simplici, secura, effica cissima. Accipe boli armeni drachmas duas, terræ si gillatæ, corallorum rubeorū, ana drachmā unam, cor ticum citri, zedoariæ, croci, ana drachmam dimidiā, sacchari rosati rosis rubeis conditi uncias sex, aceto si tatis citri uncias decem, dabis semper cum uino albo et aqua rosarum: quandoq; cōmiscendum est parū aceti

rosati

rosati. Ex his etiam conficere possumus pilulas, si loco sacchari rosati accipiamus rosarum rubearum unciam dimidiam cum acetositate citri quantum sufficit. Quidam dant istas compositiones. Sume sacchari rosati, trium sandalorum, diadraganti, ana uncias quatuor, folia auri numero decem, margaritarũ, hyacinthorum, ossis de corde cerui, ana drachmam unam. Item cape margaritarum scrupulum unum, sapphiri, hyacinthorũ, smaragdorum drachmas duas, terræ sigillatæ, triũ granorũ, serici crudi triti, ana drachmã dimidiam, smaragdorum drachmã unam, manus christi rosati quantum libet, aquæ rosarũ in qua confricentur anuli aurei uel uasa aurea & huiusmodi quantum sufficit. Item aquæ rosarum, sacchari albi, ana libram unam, sandalorum rubeorũ & alborum, corallorũ rubeorum, spodij, ana drachmam dimidiam, margaritarum drachmam unam, hyacinthorũ, smaragdorum, sapphiri, ossis de corde cerui, ana scrupulum unum. Omnia aromatica conueniunt ad conseruandũ & curandum, maxime quæ attinent frigiditati et caliditati. Et si non conueniant ad febrilem calorem, ualent tamen aduersus uenenum ipsius, & maxime si contemperentur cum frigidis ita ut ad frigiditatem aliquam declinent, & plus declinent stante uel temporũ uel complexionum uel febrium acutarũ caliditate. Item nota quod inter terram sigillatam, et bolum armenum hæc

est distantia, quod quamuis utraq; ualeant contra uenenum & morbum, nihilominus plus utuntur sapientes terra quàm bolo in cæteris uenenis, at in morbo pestilentiali potius econuerso faciunt. In hoc conueniunt omnes, in cæteris uenenis nil melius esse terra sigillata, maxime exhibendo eam cum modico boli armeni, & granorum iuniperi & aceto diluto secundum modum Galeni, quia statim constringit, clauditq; uias pectorales ita ut uenenũ per eas transire non posit, eijcitq; uenenum per uomitum. Pariter & uenenum quod per solutiua educibile, id facit administrata tam post quàm ante casum, sed securius ante. Similiter consentiunt omnes quod quum ad conseruandũ se à peste tum etiam expellendũ ipsam bolus armenus cætera simplicia superet omnia maxime exhibitus cum uino albo et aquæ rosarum, secundũ ordinem Galeni, Serapionis & Auicennæ, qui aiunt se esse expertos tempore magnæ pestilentiæ fuisse cum hoc faciliter & conseruatos & sanatos humores. Est enim bolus armenus rubeus pariẽ croceus delicatus frangibilis. Terra uero sigillata aliquantulum sit rubens, gustui parum acetosa & arida, nonnihil uiscosa, nec tamen adeò tenax ut digitis adhæreat. Aduerte quod nõnunquam initium capit morbus cum sputo sanguinis abundante, hoc in casu non datur bolus neq; aliud huiusce uenenosi sanguinis strictiuum. Imò coadiuuatur iste fluxus cum rebus pectoralibus,

extrahi

extrahitúrque sanguis ex ambabus uenis saphenæ, in qualitatem complexionis. Quod si ægrotans est multum sanguineus, fit etiam minutio postmodum ex mediana, nec sunt prætermittendæ frictiones stomacho ieiuno. Fac ut admoueat naso spongiam intinctam in aqua rosarum & aceto rosarum & cum uino odorifero, quibus etiam sæpe lauet omnes pulsus & faciem. Vbi adsit de futura phreneſi suspicio, admoueas quandoq; fronti aquam rosarum cum aceto rosarum. Et nisi nimiam metuas somnolentiam addas parum camphoræ. Cura ne infirmus in profundum nimis deueniat somnum: sufficiunt enim horæ sex uel quinque per diem & noctem, siquidem dormitio multa retrahit uenenũ ad intra: uentosæ à tergo positæ, frictiones & ligamenta circum extremitates conferũt ad phreneſim pariter & somnolentiam. Item confert suppositorium ex sapone duro cum modico salgemmæ. Somnus modicus in principio morbi utilis est, nec ideo tantum uigilandum est ut inde spiritus resoluantur. Camera cuentari debet sæpe aperiendo & reserando: ex hoc enim uariatur aër, sic tamen cuentari debet ne ob id sentiat ægrotans & patiatur frigoris quicquam. Debent tendi per latera lecti lintea aceto madefacta. Aspergc parietes ac solum cameræ aceto aqua permixto, spargantur hincinde & per angulos & parietes apponantur frondes, pampini, cannæ, salices, rosæ, plantulæ & fo.

lia citrullorum & alia quæq; uiridantia, floſculi et poma odorifera. Facies ſuffitum ex ſandalis & roſis, mirthillis et camphora, terebenthina, thure, corticibus citri, corticibus granatorum & pomorum cõmunium, additis modicum chariophilorum & croci. Super omnia curæ ſit quod ſingulis horis ſex oportet te mutare et renouare infirmo camiſiam et omnes pannos, linteamina, fumigia, unà cum uaſe pro fumigio. Si commode fieri poteſt mutabis ſingulis uigintiquatuor horis ſtratum & cameram. Antea autem quàm introducatur ſit camera bene emundata, ac bonis (ut cõuenit) odoribus fumigata. Aliter enim amictus, lectus, & habitatio, ueneno inficiunt. Nec uolo cum ſilentio prætiri, *quod ubi inſolita appareat caliditas, ſtomachi robur, dolorumq; ab inteſtinis ſecuritas, conſueuerũt* Raſis et Iohannitius *ſemel tantum ad potandũ dare aquã frigidam & recentem multa cum quantitate. Ego uero ut ſecurius agerem darem aquæ hordei recentis libras tres, cum uncijs tribus ſacchari. Et forte darem etiam ſucci cucumeris libram dimidiã, cum uncia una ſacchari bene ſimul permixta, poſtea ſucci aranciorũ uel granatorum unciam unam, & drachmam unam ſacchari. Quidam compatriota noſter uir robuſtus, quamprimum hic ipſum morbus inuaſit, immerſit ſe aquis frigidis, perq; duas horas ſic ſtetit, exiens liberatus eſt: ueruntamen fallaciſſimũ hoc eſt experimentũ.*

Forte

Forte ſecurius eſſet ſedere in aquis tepidis quæ pectoralia non attingerent, quoniam hæ partes nõ ſunt aperiendæ, nec ad ipſas prouocãdi ſunt humores. Nõnulli hoc in caſu aſſumpſerunt uenena & maxime quæ frigidæ naturæ, & fortaſis etiam ea quæ calidæ naturæ, prius uel poſt theriacam uel terram ſigillatam cum bolo armeno & aceto aqua permixto, et ſimilia quæ contra uenenum ſunt. Inter quos quidam phyſicus liberatus fuerat. Videtur tamẽ mihi res admodũ periculoſa.

De cura per artem chirurgiæ. CAP. XI.

HOc in caſu nõ expectandum, quouſq; appareat inflatio aut bulla, ſed facta purgatione uel phlebotomia ſis celer & promptus ad uenenum extrahendum, faciendo cum fermento et cantharidibus ruptorium, uel aliud ex his quæ inferius narrabimus. Applices muſculo dextri brachij ſub cubito interiori à parte uel ubi tangi ſolet pulſus, nõ tamen ſuper proprio pulſu. Similiter facies ſuper talo pedis dextri quatuor digitis ad intra ut fiat ueſica, quam aperi, apertamq; teneas. Si ſolitum apparuerit ſignum, & incommoditas breuitasq; temporis obſeruãdum ordinem impediant, fiat phlebotomia atq; purgatio. Quibus factis uel ſaltem phlebotomia, facies ruptorium & applicabis eidem lateri ſex digitorum ſub ſigno diſtantia. Sunt qui temporis uarietati non confidant, ſed & præter ordinem primo & poſt, ſimulq; quo melius poſſent remc-

dijs curæ ſtudent. Modernorum talis ordo quorundam eſt, ut ubi nil impediat primo purgetur infirmus cum clyſteribus, pulueribus, phlebotomia & medicina. Poſt uero applicanda ut diximus (etiam nõ apparente ſigno) ruptoria, ac tutius eſt confeſtim (appareat ſignum uel non) ponamus ruptoria, & reliqua huic morbo appropriata. Si uideatur apparens, ſic facito. Si enim apparuerit circa aures ſubito ruptorium applica collo in poſteriori parte, eiuſdem tamẽ lateris in quo ſignum. Si ſub brachio, muſculo ruptorium appo natur eiuſdem brachij, uel prope pulſum, nõ tamen ſupra. Si in inguinibus, pone iuxta cauillam, hoc eſt ſuper talo pedis eiuſdem lateris. Quum alibi appareat, applica ruptorium ſub ſigno per diſtantiam ſex digitorum, uel ſextantis, ne tamen ponatur (utcunq; ſit) ſupra pectus. Et ſi fuerit in gula, uidelicet à parte anteriori, ponatur ruptorium à poſteriori uidelicet in collo: ſi uero in poſteriori parte eodem in loco fuerit, non debet in anteriori applicari, ſed potius ſub loco ſigni, ſicq; tandiu permittes ibidem ruptoriũ donec ueſicam fecerit, quam aperias & ſupraponas butyrum & folia caulis: item ſpongiam hac intinctam decoctione. Sume camomillæ, brictanicæ, meliloti, ſcabioſæ, ana manipulum unum, bulliant in libra dimidia aquæ ad conſumptionem dimidij, hanc quia uenenum trahit renouato, teneto, ſæpius ut finem uſque curæ.

Simplicium

Simplicium descriptio ruptoriorum.

CAPVT XII.

RVptoria hæc sunt, uincetoxicon, uitriolum, flos æris, nux rancida, cordumeniũ, arsenicũ, calx uua, antipharmacũ, cuscuta, calx cũ sapone fullonũ, aura, cynogloſſa, fermentum cum lixiuio, galbanus, cauda equina, cuphorbium, ſtercus columbinum, ſtercus accipitris, anſerum, anatum, naſturciũ, limacia uiua uel ſuo cum cortice trita, rana excoriata & aſſata, calamentum, pulegium ceruinum, ariſtolochia, raphanus, uiſcum, centinodia, coſtum, piper, lapis ſpongiæ marinæ, flammula trita, urtica, ſinapis, uitalba, mentaſtrum, ſcabioſa, canapis, canapacium, cantharides & ſalgemma, grana maſticata, pirctrũ, uitellum oui cum multo ſalis, conſolida maior, & ſcabioſa tritæ intra duos lapides mirabiles ſunt. Dicta ruptoria debẽt citò, ut dixeram, applicari, & fortè pariter ſuper ſignum apparens. In delicatis perſonis utendum eſt lenioribus, & in alijs, fortioribus. Et tutius eſt ut ſub ſigno ponantur quàm ſupra: uel ſupraponãtur minus fortia, ſub uero, fortiora.

Curandi apoſtematis rationes, modi, & conditiones. CAP. XIII.

HOc ſignum uocatur apoſtema, quod quum uocnit ante febris acceſſum, indicat cor forte eſſe et potens ad expellendum uenenum, et tunc eſt febris ac-

cidens apoſtematis. Ediuerſo eſt quum uenerit poſt febrim. Hoc enim apoſtema eſt duarum generationum, altera eſt bulla & nominatur anthrax & carbunculus. Altera eſt inflatio & uocatur bubo & glandula. Bulla cõmuniter per emunctoria exit, & quanto plus à principalibus diſtat membris, tanto minus periculoſa eſt. Nigra eſt omnium peßima: ſecundo uiridis loco eſt paulò minus mala: tertio glauca, rubea quarto. Et quanto aridior tanto etiam peior eſt. Inflatio cõmuniter in emunctorijs uenire ſolet, hoc eſt principalium membrorum purgatorijs, quæ tres ſunt, in locis ſcilicet poſt aures, ſub brachijs, in inguinibus. Cerebrum per emunctoria poſt aures demittit uenenum, necnon in collum. Cor ſub brachia mittit. Ad uel circum inguina hepar. Hac de cauſa peior eſt inflatio quàm bulla, quoniã ueneni multum ad principalia decurriſſe membra oſtendit. Et quanto cordi propinquior inflatio fuerit, tanto quidem periculoſior. Vtrorũq; ſcilicet bullæ pariter et inflationis quaſi ſimilis eſt cura. Sunt qui accedente apoſtemate ante febrem & procul à corde faciunt ſubitò ligaturas inter locũ doloris & cor, ſupraponuntq; repercutiendi cauſa res frigidas ſiccas. At ſupra doloris locum proprium, res ponunt calidas & humidas reſolutiuas. Alij quamprimũ apparere incipit apoſtema, ponunt ſupra ſimul et à latere uentoſas, ut diximus, & ruptoria, ſubitò hanc exhibendo medicinam.

Tria principaliũ mẽbrorũ emũctoria.

cinam. Sume hellebori nigri præparati, ſenæ, cinnamomi, ana drachmam dimidiam, diagridij ſcrupulum dimidium, infundantur in uini granatorum uncias quatuor, & ſacchari unciam unam. Si ad multas horas in infuſione ſtaret melius eſſet, poſtea cola & exprime, propinanda quum apparet apoſtema antequam dormiat. Sic uero præparant helleborũ: Scindunt per longum in fruſta minuta, ponũt ipſum in pomo dulci, inuoluuntq; pomum in ſtuppis prius aqua roſarum intinctis, ſicq; coquũt ſub cineribus calidis, cocto ſemel proijciunt pomum, recoquunt helleborum alio in pomo, modo quo prius, ſeparatim à pomo cõſeruatur. Dant robuſtiſsimis helleborum mixtis miſcendis, modo et ordine dicto. Cæteris uero et minus robuſtis dant ſolũmodo pomum ſecundæ coctionis. Præparant ſcamoneam coquendo ipſam in malis cydonijs uel in paſta farinæ hordei facta cum uino cydoniorum. Non reprobo iſtorum regulas, ſed ad noſtras regredimur.

Regulæ & modi applicandorum ruptoriorum. CAP. XIIII.

QVum opportunum nõ eſt ut extrahi poſsit ſanguis cũ uentoſis uel ſanguiſugis, nec incendi ſignum, poni debent ſub uel ſupra, uel ſimul utrobiq; ruptoria ex dictis, & his etiam quæ in ſequentibus dicã, compoſitionibus. Exhibes autem prædicta ſi uideatur temporis adeſſe commoditas, poſtquàm extractus eſt

ſanguis ac parum quieuit ægrotans, uel ſaltem poſt aſ-
ſumptionem medicinæ & eius perfectam operationẽ,
& ſi non preſtò affuerit qui manu operetur, dato pul
uerem, quem ſi non habeas exhibe medicinam. Si nec
medicinã habueris, applica ſine dilatione ruptoria ſu-
pra & extra ſignum, cũ moderatione, ut diximus, &
ordine, & ſi tempus inſtet, nec quicquam adhuc factũ
ſit, exhibe ſimul purgationem & ruptoria, nec ceſſes
unquam à remediorum adminiſtratione, nec differas ut
ſperes te omnia cum temporis cõmoditate facturũ. Ad-
uerte ne ſuper ſigno ponas res adeò frigidas & ſtypti-
cas ut uenenum ad intra repercutiant. Vtere his quæ
aptæ ad trahendũ & reſoluendum, ut ſunt res calidæ.
Ac aliquantulum temperandæ ſunt quandoq; ſi ſis eas
continuaturus cum rebus frigidis, ut nimia cuitetur in-
flammatio, nec tamen ita frigidis ut inde reſtringant.
Nec multum metuas dolorem, quoniam uenenum tra-
hit ad apoſtema. Nolo tamen toleres exceſſum, quoniã
uires adderet ueneno, augmentaret pariter & febres,
naturamq; nimis laſſaret. Locum ruptorij nolo per ar
tem in totum conſolides, donec tres elapſi ſunt menſes;
hoc uero quũ facis reitera purgationem. Quidam Flo
rentinus noſter hoc Vere incidit bullã, quod quũ inde
ab hoc morbo ita liber eſſet, ut nõ diuerſus foret à ſanis
haud ita multo poſt q̃ primũ plagã cõſolidauit: tranſ-
actis uero poſt diebus quadraginta iterum morbo inſe
ctus

ctus biduì ſpacio interijt, maxime hoc quia ſine purgatione plagam reſtrinxerat. Hoc etenim ſcias, quod qui poſt ſeptimum perit diem, mala potius cura id euenit quàm huiuſce natura morbi. Scito quod poſtquàm uenenum in tantum decurrit ad apoſtema, ut principalia membra per hoc ſint alleuiata, niſi tu perbene & continue idipſum trahas, rectifices, & purges, intrinſecum apoſtematis uenenum plus exaſperatur, contractū uaporat ad intra & occidit. Idcirco continue cor ipſum fortifica conſtringendo uias eius intus & ab extra, humores ſæpius euacua, uenenī plagæ rectifica, purga. Nil ſperes certi ex illorum præter rationem ſanitatis ſpe, quinimò nec ad inſtās ob hoc à remedijs ceſſes, maxime ſi adhuc ſeptimus nō elapſus fuerit dies.

Compoſita ruptoria & emplaſtra quædam fortia. CAP. XV.

MVltifariam ſunt ruptoña cōpoſita, fortiaq; in trahēdo uenenū ad extra. Enarrabimus multa, ut ſecundum opportunitatem cuiuslibet auxilio cōmode uti poßis. Sume ficus, ircos, & grana tritici contuſa, parte æquali, maturat hoc citò ac rumpit. Item fermentum cum oleo & ſale. Item pix cum paſſulis et melle. Item ſtercus paſſerinum cum axungia porci. Item uitrū pulueriſatū cum terbenthina. Item niſi abominoſum foret ſtercus humanū, ualet multum ante & poſt rupturam, ſupraponendo medullam panis feruen

ti oleo intinctam. Item oleum cum cineribus bullitū. Item cātharides numero decem, cum uncijs passularū una, fermenti una & semis, scabiosæ, cynoglossæ, consolidæ maioris, antipharmaci, ana unciam unam, incorporentur cum oleo liliorum. Et si fortius facere uolueris, adde sal & columbinam herbam, rutā, ana drachmas duas. Item nasturcium cum oleo & sale. Item auripigmentum, piper, ana drachmas duas, caricas numero decem, fac emplastrum cum melle quantū sufficit. Item baurach, salis ammoniaci, scabiosæ, antipharmaci, allij, piperis, ana partes æquales, fac emplastrū cum succo scabiosæ. Item galbanum, radices liliorum alborum, stercus humanum, consolidam maiorem tritam inter duos lapides. item fermenti uncias quatuor, sinapis, rutæ, scabiosæ, absynthij, ana manipulū unū, radicum liliorū alborū partem tertiam, uitrioli drachmas duas, cantharides numero decem, galbani unciam unam, nuces rancidas numero tres, olei liliorum alborum quantum sufficit, coquantur herbæ & radices in oleo, & fiat emplastrum, addendo cætera ingredientia secundum artem. Item cātharides cū oleo saponis. Item cineris querini, quo tinctores utūtur partes quatuor, calcis partes sex, misce, & quum uteris supraponе prædictum emplastrum. At istud nunc dictum emplastrum facies cum oleo oliuarum nigrarum, & fortius est, si oleum cum cineribus bulliat. Item fermenti,

urticæ

urticæ, pinguedinis carnis exiccatæ, barbæ maluauiſci, maluæ, partes æquales. Quinq; ſunt herbæ hoc in caſu tum in omnibus emplaſtris, tum etiam intus ſumptæ ualde conuenientes, quoniam tam intus quàm extra ueneno reſiſtunt, & ſunt quaſi temperatæ, ſcilicet cõſolida, ſcabioſa, agrimonia, brictanica, ariſtolochia

De emplaſtris temperatis. CAP. XVI

FOrtia ſunt admodũ ſupradicta ruptoria & emplaſtra, cum ad rumpendum, tum etiã ad extrahendum citò uenenum. Sed non ſunt continuanda, quoniam nimis inflãmarent, attamen eis plus uti quis poſſet, ubi apoſtema non eſſet coloris multum uiridis aut rubei uel nigri. Ac etiam ubi non multa foret corroſio, temperatiora quædam adducam & mage conuenientia, ubi de magna metus eſſet inflãmatione. Sume barbæ maluauiſci uncias duas, caput unum liliorum albo rum, farinæ ſeminis lini, ana unciã unam cum dimidia, bulliant in aqua cõmuni, & piſtentur cũ fermento & axungia ueteri, applicetur calide. Item ſume furfuris nõ penitus expurgati à farina manipulos duos, coquatur in aceto. Item columbina cum aceto & oleo roſato. Item farina hordei cum ſucco brictanicæ uel conſolidæ. Item cæpas cum butyro coctas addendo poſt caricas, et fermentũ cum oleo camomillino dulcorari poteſt (ſi opus ſit ob doloris uehementiam) addendo poma cocta aut maluauiſcum, & maluam, ipſarumq; mu

cilagines. Quod si maiori adhuc opus sit dulcoratione accipe cæpas coctas & poma cocta, scilicet cum butyro & oleo camomillino. Item maluæ, barbæ maluauisci, scabiosæ, ana manipulum unum, bulliant herbæ in aqua cõmuni, cum qua incorporetur farina. Pistentur autem herbæ & condiantur simul omnia cũ uncia una pinguedinis gallinæ, & totidem olei camomillini, croci drachma dimidia, est enim delicatissimum emplastrum. Item scabiosa, pes columbinus, cichoria, consolida maior. Conuenit post hæc emplastrum ex apio, brictanica, farina orobi cũ prædictarũ herbarũ succis, secundum aliquos etiam cum theriaca. Item emplastrum ex opoponaco trito cum passulis. Item assa, ruta, & nitrum, cum melle. Bonum quandoq; fuerit unctum esse cum theriaca, supraposítis cæpis et malua coctis. Supraponunt etiam nonnulli flores aranciorũ, & folia contusa cum axungia & malua. Quantum uero ad ipsam theriacam uolunt aliqui non esse ei quicquam superponendum, quoniam remittit uenenũ ad intra.

Emplastra temperatissima. Cap. XVII.

QVum bulla multum nigra est, & supra modum ardens, ac perquam citò accendit, corrodit, & dilatatur, tẽperatiora debent esse ea quæ administras, desiccatiua cum aliquali frigiditate, temperataq; caliditate resolutiua, exempli gratia. Sume plantaginem & gallas cum aceto coctas, item lentes cum pane mixto,

xto cum cribratura furfuris. Item granatã acetosa & medij saporis in quatuor partes scissa & cocta in aceto usq; ad eorundem dissolutionem, conterantur & applicentur, conueniunt ab initio morbi usq; ad declinationis statum. Conuenit alterum hoc emplastrum ante hulcerationem causatam à bulla. Sume acatij, dragan ti, opij, corticum granatorũ, ana drachmam unam, uiridis æris, hyoscyamũ album, fac emplastrum cum uino & serua ad usum. Quando uideas iam factam hulcerationem supraponc id aliquantulum desiccatiuum. Sume esdram cum uino & rob granato & similibus, aduerte ne partes signo circunstantes putrefiant, defen de ipsas cum bolo armeno, aqua rosarum, oleo rosato, aceto rosato, & cæteris. In recessu inflammationis, hulceratione remanente, pone emplastrum ex litargyrio & ea quæ ad malignas et corrosiuas plagas conferũt, id est quæ refrigerant, desiccant, repercutiunt, ex quibus aliqua superius cõmemorauimus. At temperate fa cito cũcta, & repete ut expedit, purgationes ad intra.

De modo mitigandi dolorem circa ipsum apostema. CAP. XVIII.

QVæ superiori tractata sunt capite in bullis mul tum nigris & corrosiuis uerificantur, at in cæteris non tantæ inflammationis temperatior esto matu rioráq; in repercutiendo. Ardorem doloremq; partim à morbo, partim à ruptorijs siue ab inflãmatione pro-

uenientem, si mitigare studeas, circumpone signo medullam panis calidi recentis primum excepti è furno, uino acetoso uel succo plantaginis intinctam. Item coque prædictam medullam, necnon & lentes in acëto, applica & sæpius muta, & ne desiccetur emplastrum illico suprapone folia plantaginis. Quando emplastrũ deponis lauetur plagæ superficies cũ uino pontico siue acetoso, suprapone farinam hordei cũ melle. Intelligo autem poni debere ista non supra, sed circum plagam, quamuis secundum Petrum de Tussigniana aliosq; & doctos & expertos, hæc quæ diximus non multum re percutiant, uerum pellunt caliditatem, confortant doloris locum, & temperato quodam calore resoluunt. Remanentem postea plagam his rebus curato quæ ad uenenosas corrosiuasq; attinent plagas.

De modo incidendi putrem ipsius apostematis carnem. CAP. XIX.

QVando est mortificata plaga, cura subitò ut tristis illa caro decidat. Sume brancæ ursinæ, barbæ maluauisci, herbæ peruincæ, foliorum maluæ, ana unciam unã, coquantur, pistentur & misceantur cum axungia porci non salita, & cum butyro ucteri, sic simul ad tres dies permittantur, postea colentur, exprimantur, addendo colaturæ parũ ceræ & masticis, seruata ad usum. Vtq; competentem faciat plaga crustam, quã postea bene diuellas, quũ dicto usus es emplastro, ungatur

ungatur cum butyro & oleo. Cruſtam autem nulla cum uiolentia depone (id quidem multũ obeſſet) morare donec natura id per ſe facere incipiat, quam poſt modum cum ſupradictis adiuua. Interea ne corrodat uenenum perq; ſanas corporis partes diſcurrat, hunc in modum ſuccurrere opus eſt. Habeas uentoſam amplam ita ut totam (quum applicatur) plagam hoc modo ambiat, uidelicet ut ſuprapoſita tangat circumcirca tantummodo carnem ſanam, ita ut plaga nulla ex parte contingi queat à uẽtoſa. Hanc igitur uentoſam applicato ſic trahendum uenenoſum ex profundo ſanguinem, prohibendumq; ne intro reuertatur.

De modo mũdificandi plagã. Cap. XX.

RVpto apoſtemate extractaq; ueneni materia, propinanda ſunt conſtrictiua ſimulq; mundificatiua. Sume farinam ordei cum melle & modico ſalis, ſuprapone folia caulium. Item ſarcocollam pulueriſatam & mel parte æquali: ſi fortius uolueris, coque in primis ipſum mel, poſt uero adde ſarcocollã. Eſt equidem ſecundum Gentilem de Fulgineo & Petrum de Tuſſigniana ſolennis compoſitio, quoniam omne uulnus mundificat, omnemq; ſanioſam plagam. Cõmendo pariter ad hanc rem emplaſtrũ diaquilon

De modo regenerandi carnem bonam.

CAPVT XXI.

MVndificata quum fuerit plaga, ad bonam carnem regenerandam, accipe folia baſiliconis

optime contusa. Item recipe xanthos, centaureæ maioris, herbæ pentaphyllon, consolidæ maioris, ana partes æquales, destillẽtur in Vere per alembicũ, uel facito his ex herbis succum, sicq; simul permitte donec bene permisceantur. Postea adde illis aquæ uitæ partem quintam, serua ad usum, istud enim mirabile inuenies in regenerando carnem. Item cõfert ad hoc barba asphodyli, hoc est lappa, cocta cũ fecibus uini. Item emplastrum ex coriandris uiridibus cum melle & passulis.

De uarijs modis extrahendi sanguinem à signo. De modo cauterizandi per incendium. CAP. XXII.

OMnis circa signum prædicta cura, quæ (ut antea narrauimus) fit cum ruptorijs simplicibus & compositis laudabilior fieret Italicorum omnium Doctorũ sentẽtia, modo quem iamiam dicemus, postponendo ipsa ruptoria, & sic faciendo: Pone cauteria distanter à signo quemadmodum iam diximus, & simul supra signum magnam pone uentosam, qua deposita tange ipsum uarijs in locis cum rasorio & lanceola, postea uentosam repone, ut sanguinem attrahat, eamq; cessante sanguinis attractione amoue. Deinde tres bene purgatas sanguisugas applica, hisq; iam repletis, & amotis, gallorum uel pipionum columba rumq; pullos scinde per medium, & sic calide unum post alterum appone. Post secundum quosdam debet

inungi

inungi cum theriaca, deinuero permittas eũ quiescere. Nõnulli istorum loco deplumant locum circa anũ galli, & accipiũt saponis aliqualiter obscuri ac quasi uiridis unciam unã, opij scrupulũ dimidiũ, pistantq; bene & cum sale albo pulueratissimo faciunt suppositorium gallo et totũ insimul superponunt. Quo peracto restaura ægrotantem & postmodum eum leniter cauterizã. Non dico cum cera nec oleo feruenti, quia oppilant, sed cũ auro ignito, aut argento uel ferro, ipsumq; instrumentũ in summitate rotundam habeat planitiem ad formam unius satis magni quadrantis, sitq; in medio huiusce modi planitiei acies siue acumen ad formam Adamantis, non nimis acuti. Et post incendium inunge cum butyro, et cooperias locum fõlio caulis, & permitte eũ quiescere. Hoc multo eligibilius est ruptorijs, eo quod citius operatur, magisq; pellit uenenum, meliorem insuper qualitatem in membro relinquit. Posthac utuntur rebus plagæ superponendis, & circa, quas superius commemorauimus post ruptoriũ administrandas & eodem modo. Nonnulli pestilenti morbo laborantes nõ aliud ostendunt signum quàm maculas, ueluti morbilli, per corporis cutem disseminatas. Istiusmodi debent inuolui pãno coccineo calido, et custodiri à frigore, apponantq; duæ magnæ spongiæ dorso cum renibus, & pectori calide, intinctæ decoctioni melilo:i, camomillæ, & lentis, & bene expressæ, & ieiuno stomacho, sæ-

pius mutentur. Dabis etiã in potu decoctionem caricarum, lentis, granorum tinctorum, & croci.

De cura secundum morem Hispanorum & Catelanorũ. CAP. XXV.

Dictum à nobis in præcedentibus de istiusmodi morbi cura secundum Græcorum, Latinorũ, necnon & Barbarorum intentionem, maxime uero secundum usum Italorum, at in præsentia iuxta Hispanorum morem, pariter & Catelanorum, de hisce medicamentis considerabimus. Itaq; secundum istos fit statim clystere, post uero, si sanguis abundat, phlebotomia. Sin minus, exhibetur iuxta peccantis humoris qualitatem medicina. Ab initio applicant epithema, deinde facta aliquali euacuatione, saltem cum clystere, ad curam procedunt apostematis. More etiam istorum, nihil ex inflammantibus ardentibusq; superponi debet apostemati, quia spasmum inducunt, febres accendunt, malignius reddunt uenenum, maxime si in emunctorijs fuerit apostema. Aiunt item nõ esse in principio apponenda maturantia multũ ac maceratiua, quoniam glutinant, oppilant, putrefaciunt, referuere faciunt pelluntq; uenenũ ad intra. Nec frigida quoq; dicunt administranda, nec quicquã (quia desiccat) cum spongia, neque cum panno quia intus claudit uapores stringitq;. At uero cum lana munda, siue cũ stuppa (maxime ex cãnabo) laudabile est: præsens decoctio est maxime familiaris, his præcipue qui

sunt

ſunt natura delicati, ac etiam in emunctorijs: Accipe flores camomillæ, melilotum, capillos ueneris, bulliant in aqua, imbibe lanã ſiue ſtuppam, exceptam manibus exprime, applica tepidã uel parum calidã, ſingulis horis renoua, donec reſoluat uel aperiat. Poſt uero aperturam tranſacto die quinto utere maturatiuis, & quæ mundificant, regenerant. Bullis autem ut rumpantur ſecure ſuperponitur ſcabioſa piſta, uel ſola, uel cum ueteri axungia porci, & ſalita. Si uiridis eſt bulla uel nigra, nec tamen eſt in emunctorijs, aperias eam ſubito uarijs in partibus, cum lanceola, uel raſorio, ut inde citò exeat uenenũ. Deinde laua bullam cum aqua ſalſa ne ibidem remaneat ſanguis coagulatus, applica ſanguiſugas. Poſt quum fuerit rupta & ueneno expurgata, tranſacto (ut ſupra) die quinto ſuperpone maturatiua, mundificatiua, regenerati ua. Præter hæc (niſi admodum tenellæ ſit ætatis ægrotans) debet non ſupra ſed ſub bulla per ſex digitorum diſtantiã poni ampla uentoſa. Poſtea fieri debet apertio cum lanceola uel raſorio, & iterum apponi uentoſa ut ſanguinẽ attrahat, uidelicet uncias duas uel tres, uel plus etiam iuxta tenorem conſenſumq; uirtutis. Aduerte ſigno in emunctorijs exiſtente, ne proprio ſigno applices uentoſas, nec incidas, nec nimis ipſum moleſtes frequentando uentoſas, quoniam ſic augetur ſpaſmus, multi trahuntur calidi humores, peius efficitur uenenum, & multi ſic faciendo pereunt. Verum ſi

circa aures, uel in gula huiusmodi signum appareat, applica uentosam retro sub spondilibus colli, non supra uel in spatulis. Si uero appareat sub brachijs, applica uentosam sub codē latere declinando uersus dorsum. Si in inguinibus, applica uentosam in coxa, uel retro sub clunibus. In quocunq; horum casuum sic facito, pone per sex digitorum spacium procul à signo (ut diximus) uentosam, & scarificando trahas sanguinem cum uētosis uel sanguisugis. Sed supra signū, supradictam ponesdecoctionem, ut temperate leniat, atq; resoluat. Vnà cum decoctione bonum esset si posses apponere lapidem quempiam ueneni tractiuum puluerizatum, uel integrum, ut sunt smaragdus, hyacinthus, topazius. Tamen secundum aliquos istorum possumus superponere signo sanguisugas, et quandoque etiam uentosas. Esto quod sit in emunctorijs, nulla tamen fieri debet cum uiolentia, post uero lauando cum aqua salsa. Hoc fit quando signum summe inflatum est, uel mali coloris, & quum est apertum signū, transacto die quinto utuntur maturatiuis. Quod si hæc ipsa decoctio, minimam faciat operationem, reduces eam ad formam docciæ uel gutæ. Quando ipsum apostema plus solito est inflatum, quidam post diem tertium fortiter incidunt ipsum per longū eius membri in quo signū apparet per interuenia scilicet, euitando uenas & arterias. Et si nimis fluerct, anguis, obuiāt cum stuppa intincta uitello oui, et olco rosato,

non uero

non uero in albumine, quia frigidum est & uiscosum. Eo tempore confortant ægrotū cum cordialibus intus & extra. Verum sapientiores inter istos non approbant hanc incisionem, iudicando ipsam maximi esse periculi, præsertim in emūctorijs. Post uero quintum diem si febris non est ardua ac signum non multū est uenenosum, nigrum, uel uiride. Si etiam approximat ruptura, corpore bene purgato, incipe cum maturatiuis, postquā feceris quæ diximus, ad maturandum apostema. Sume barbæ maluauisci, barbæ liliorum, enulæ campanæ, cucumeris asinini, cæparū, ana libram dimidiam caricarum pinguiū, seminis fœnugræci, seminis lini, ana unciam unam, foliorum maluæ maluauisci, brancæ ursinæ, herbæ uiolariæ, ana manipulum unum, coquantur cum impetu in aqua, bene pistentur. Si pro delicatis hoc maturatiuū fiat, colētur prædictæ, coquantur, pistentur, & exprimantur. Postea addatur axungiæ porci recentis, liquefactæ, colatæ, libra una uel quantū sufficit, aliqui addūt limacias bene pistas, unà cū cortice: hoc enim cōuenit ubi cutis multum deisa est, ueluti in inguinibus, & post aures. Alij adduni fermenti, panis grossi, ana uncias duas, aut plus, uel minus, secūdum opportunitatem trahendi & rumpendi, quæ res conuenientior est in bullis, quàm in inflationibus emunctoriorum. Sunt & alia quædam leuiora maturatua, ut est farina tritici cum oleo & aqua simul bullita, donec ad aliquantulam te

nacitatem perueniant, uel cum medulla panis furfurei, & cum caricis pinguibus simul coctis, & postea pistis. Possumus addere oleum oliuarum, uel oleum amygdalarum dulcium, aut axungiã porci recentem. Si talis axungia uetus esset, et salita, foret hoc emplastrum utile ad leniter rumpendum bullas. Etiam addere possumus pinguedinem gallinæ recentem, si tali cum pinguedine, axungia, & butyro recenti, oleo uiolato, barbis liliorum coctis fiat emplastrum gratũ delicatis. Huiusmodi maturatiua (ut ante diximus) fieri debent post purgationem cessante febre, et postquã signum est apertũ, expurgatumq; ueneno, transacto etiam die quinto, deinde utuntur mũdificatiuis, postea regeneratiuis, ultimo consolidatiuis signi. Si bulla fuerit nigra uel uiridis & corrosiua, nec est in emunctorijs, incide cũ profundatione lanceola uel rasorio. Postmodũ administrabis docciam cum aqua salsa aliqualiter calida, ne sanguis (ut diximus) coeguletur, deinde applica uentosam aut sanguisugas, uel anum galli deplumatũ. Quidam applicant limacam uiuã, nonnulli ranam uiuam, hoc autem fieri potest quando signum nõ sit in emunctorijs, postea apponi aliquod facile ruptoriũ quod supra tradidimus, uel etiã istud. Sume uitellum oui cum modico salis, nec fortius, quia bullã malignaret, mutetur autem istud sæpius. Quod si & hoc bullam nimis conturbaret, utere sola scabiosa pista, uel ueteri axungia porci salita, uel simul utrisq;.

utrisq;. Sunt quædam ruptoria admodũ fortia, quæ non debẽt poni super emunctoria, nec ubi grauis adsit febris, quæ etiam si ponantur, ubi non minus sit fortis, minime conducunt. Sume caricas crudas, & fermentum. Item si hoc non ualet, faciunt hoc fortius, obseruatis tamẽ modo ordine narrato. Sume cantharides bene tritas, et tertiam partem axungiæ porci, hoc pone super bullam malignatam ter uel quater. Dicũt chirurgici hoc esse sæpius expertum, quando adhuc fortius hoc ipsum habere uolunt, addunt quartã partem saponis fullonũ, quod quidem dicunt in malignata bulla, & in homine robusto mirabiliter operari. Item aliud forte pro bullis. Sume pulueris uitri bene pulueriz ati unciam dimidiam, granorum tritici tritorum uel dentibus masticatorũ, unciam unã, uitellæ ouorũ numero duo, croci drachmã unam, terebenthinæ unciã unam, bene cõmisceantur et superponantur cum stuppis mundis. Reliqui apponũt calcem uiuam cum sapone. At quoniam huiusmodi ardentia & uiolenta frequẽter malignius faciunt apostema et febres, ideo securius est ante hulcerationem aduertere ne materia intro reuertatur, etiam ne quasi rabida efficiatur his cum rebus acutis, in debilibus præsertim complexionibus, uel multum cholericis, ideo his intentionibus utile est emplastrũ Galeni toti membro superponere. Sume plantaginis, lentis, panis furfurei, ana partes æquales, coquantur in aqua donec ad quãdam

soliditatem perueniant, superpone loco doloris & circumcirca per latum spacium. Auicenna addit galas ubi plus de subtili sanguine apparet quàm de compacto. Item ad istud utile est emplastrum granatorũ dulcium, & acetosorum coctorum in aceto & aqua, præsertim ubi apparet materia incensa. Post uero q̃ cessare incipit ardor, conuenit emplastrum Auicennæ, ex caricis pinguibus, passulis, nucibus, farina ordei, simul coctis ad maturandum & rumpendũ. Post uero factam rupturam, mundificetur plaga cum succis apij, absynthij, plantaginis, melle rosato, farina, coctis cum modico terebenthinæ lotæ, deinde consolidatur secundum ordinem aliarum plagarum, circumponitur uero unguentum ex bolo armeno, & oleo rosato. Quidam ab initio, causa fortis attractionis, ponunt inter musculos tibiarum, uel brachij, uel super spatulis herbam flammulam id est cuscutæ tritã, quæ quidem faciendo hulcerationem emunctoriorum ad se trahit humores, & membrorum principalium. Istud remedium in robustis corporibus, & ubi nulla adest febris, utile est, non alibi nec aliter. Nonnulli actuale faciũt cauteriũ super signo cum ferro ignito, quod quidem plus conuenit robustis, & ubi nõ est ardua febris. Raimundus inquit quod theriaca & bolus armenus non trahunt ad se uenenum, sed procul depellunt, ideo dicit non esse assumenda per os post secundum uel tertium diem, quando materia iam uenenosa

nenosa est, & cor ipsum attigit, nisi bene enacuata sit & correcta. Item prohibet ne unquam super signo ponantur, nec etiam uult ut apponantur, nisi signum extra emunctoria fuerit, & quoque ante tertium diem, & in circuitu, non supra: potest administrari bolus armenus etiam post septimum diem, plaga ueneno expurgata, ungendo in circuitu. Sic igitur conuenit in tertio antequàm plaga sit facta uenenosa, & conuenit post septimum, postquam plaga ueneno expurgata est, in circuitu autem ungi debet cum oleo rosato, aceto rosato, & aqua rosarum ad defendendum membrum. Hactenus Hispanensium & Catelanorũ narrauimus opiniones unà cum correctionibus Arnoldi & Raimundi medicorum singularium, uera res est, & Raimundus huius est sententiæ, scilicet quod nõ debeat purgari infirmus cum phlebotomia, medicina, aut uomitu, quando apostema repletum ast admodum, & uenenosum, hoc est transacto die secundo, ne uenenum tali motione intro reuertatur. Hæc quidem opinio uidetur corrigenda, secundum alios, & sic uidelicet purgari debet si opus sit (cum dictis obseruantijs) etiam post ipsum diem secundum, sic tamen quod dum purgatur applices uentosas & sanguisugas, sub & super signo, & quod cor defendatur intus & extra cum cordialibus frigidis, & hic quoque modus non prorsus est alienus ab intentione præfati Raimundi.

De aſtantium conſeruatione qui infirmum regunt. CAP. XXIIII.

HVius aſtantes præterea quæ dicta ſunt in principio pro conſeruatione (ſcilicet theriacam, pilulas & ſimila) niſi uacui fuerint ſanguinea ſuperfluitate, debent aliquantulum ſanguinis extrahere ex uena communi facta bona purgatione cum dictarum pilularũ drachma una, uel ſaltem media. Vtile eſt ſæpius ſumant pulueres et medicinam contra morbum, ut in præcedentibus dictum eſt, & maneant quo magis procul poſſunt ab infirmo, præſertim quum ſunt ieiuni. Euentetur ſæpe locus habitationis, & fiant fumigia ut ſupra dictum eſt, nunquam prætermitendo terebenthinam, geſtent in manibus faces ardentes & carbones bene ſuccenſos bonis odoribus fumigantes, lauent uniuerſum corpus cum aceto tepido bis in die, ſcilicet mane & ſero. Sæpenumero mutet indumenta, et frequentius renouet fumigia, maxime cum thure, terebenthina, iunipero, myrto, ſandalis, roſis, et camphora uel roremarino, lauro et ſimilibus. Teneat in manibus arancium & faſciculũ rutæ uel querculæ maioris & mentæ ac meliſſæ cum myrto et floſculis recẽtibus, ſit ſemper bene purgatus ab omni humore & cibo ſuperfluo. Iterum repete ſalutiferum illum odorem cum aqua roſarum, aceto roſato, uino maluatico, zedoaria, uel corticibus citri, ſuper oĩa la uet ſæpius cum his manus & uultum. Cuius etiam compo-

compositionis pauculum bibat, & teneat etiam admotam naribus spongiam in eadem iam dicta mixtura intinctam, ligatam in ligno fraxini: quoniam tantã habet fraxinus contra uenenum potentiam, ut nullũ animal ueneficũ eius appropinquare audeat umbræ, suo neq; odori, potius enim sese sponte ad concremandum igni concederet, quàm ut huic proxime adhæreret arbori. Faciant sæpiuscule ignes et focum per uniuersam domum, maxime cum lignis & rebus odoriferis. Nec putet qui semel ab hoc morbo liberatus est, sese deinceps non posse hoc in casu perire, quia præsenti anno ter unum ex Florentinis nostris hic morbus inuasit, qui secundo perfecte liberatus, tertio mortem euadere non potuit. Eodem iterum anno in mense Septembri mulierculam liberaui quandam à peste, sana equidem erat, ut cæteri qui semper sospites exiterant, at quum inter morbosos uersaretur, post dies XVIII. iterum infecta perijt. Nulli confidendum est in hoc quod cæteris sit fortior & magis sanus, quoniã uenenum ita fortes interimit ut debiles. Imò uenenũ istud plus quàm reliquos offendit sanguineos atq; robustos, eo quod apertæ sunt illis pectoris uiæ, habent & cor ualde calidum, multumq; sanguinem calidũ et humidum, ideo cordis ipsa caliditas per meatus apertos multum trahit aërem pernicioſum, & quidem subitò trahit, antequam temperari transitu posſit. Etenim sanguinis caliditas perquam citò succenditur &

inflammatur. Confistim putrefactioni subest humidi tas, inq; uenenum conuertitur, quippe ut quanto plus in uase uini, & quanto potentius, tamen tanto etiam in plus, tumq; in mordacius uertitur acetũ, sic potens in uenenum, quanto quidem abundantior, quanto ca lidior fuerit in pectore sanguis, quando equidem san guis fit ipse uenenũ, perquam facile paruoq; ipsi us contactu, transmutatur ad idem. Conuertunt enim se alterutrũ contactæ inuicem partes ad uenenũ. Nec te prætereat ô qui patientis curam geris, quòd quan to illi es propinquior, tum cognatione, tum comple xionis uel naturæ ac cõstellationis symboleitate, tan to quidem maiori contagionis subiaces periculo, quia lationis quædam inest qualitati promptitudo, ut simi lis ad simile adimpleri transmutatio possit, ueluti ignis ad aërem, ad aquam aëris, huius ad terram. Et quũ duæ citharæ, binæ uel fidiculæ uersu modulãtur eodem, tunc quidem resonat motus, uoxq; huius in il lam. Si uero petis, quas intret per uias uenenum? re spõdeo, quod omnes per corporis poros, maxime qui magis aperti, citius autem offendit quãdo per nares, per os, perq; pulsus ingreditur, & multo quidem for tius si uias adinuenerit in calidis humidis subtilibusq; apertas humoribus, etsi quoq; à similibus prouenit humoribus, siq; influentia Martis cũ diuerjo euenit, & modo contrario, cumq; Saturnio influxu se quidẽ eo tardius demonstrat. Multoties immanet uestibus

diu &

diu & cute uijs patētibus & uenis cordi propinquis, nec inde quisquā grauari uidetur, quia pauculus est, leuisq; uapor, nec eā habet cæteris ut cordi partibus contrarietatem sed ipsi tantillum quum primum cordi contiguum efficitur, manifeste non occulte ledit. Similiter rabidi canis uenenum, necnon & alia suam longo etiam post tempore detegunt offensionem. Hæc deniqre scias uelim, quod scilicet per bimestre spacium remanet uenenum in personis. Parietes, ferramenta, et quæ sunt ex lignis cōstructa nisi corrigantur cum lotionibus, fumigijs, ignibus, per annum uel plus forte suā reseruant uenenositatem. Vestes quoq; laneæ & id genus nisi euententur, lauentur, sæpiusq; fumigentur, uel ponantur ad ignem, ad uentum, ad solem tribus annis & ultra, remanent infectæ. Nosti quidem muccidi odorē arancij in qua muceserit capsula multos seruari per annos. Similiter suo quo prius erat bombace musci diu permanet odor. Equidem ut ignis oleum, sic nutrimentum huius est lana ueneni, & quidem ita enutrit hæc lana uenenum, ut non modo conseruet ipsum sed & augmentet, simúlque fortificet. Non est utendum pro cibi uel potus dispositione uasis illorum qui infecti sunt, nec tangi debet quicquid adhæserit illis. Iucunde tibi uiuendum est, eo quod lætitia uitalem confortat spiritum: continenter & sobrie uiuas, siquidem tanti est ualoris sobrietas & continentia ut ea sola mediante in mul-

tis & quidem grauibus (Athenis quæ fuerant) pesti lentijs Socrates philosophus sese seruarit incolumẽ. Inquiunt ideo Aristoteles atq; Galenus talem esse in puris corporibus dispositionem, ut fermè nunquam sentiant pestem, uel ea ipsa (& si infecti) saltem non pereunt. En tibi iam duo, ut te conserues singularia trado. Parato ut bibi possit smaragdum, ut tangi, ut ore teneri, suspendiq; collo, cuius tanta est aduersus uenena uirtus, ut, teste Rasi, Auenzoar, Serapione, tyris et bubonibus eius conspectu ex sese statim lumina cadant. Pauperibus dare soleo raphanum sylue strem, parum pro uice ne sanguinem incendat, tantã enim habet contra uenenum efficaciam, ut scorpionẽ eius cõtactu crepari faciat: & dicit Dioscorides quod trito cum aceto eius semine lotis manibus, tangendo serpentes nocere minime possunt. Lapis bezoar (si quis posset habere eum) super omnia ualet aduersus uenena, quãuis enim Persico idiomate id omne bezoar ab antiquis appellari solet cuius est proprietas uirtus pellendi uenena. Secundum tamen Serapionẽ, & Rasim principaliter uocatur bezoar lapis quidã omnibus uenenis tum calidis tum frigidis morsibus, cunctis ue hulceribus uenenosis sua uirtute resistens, & confert siue sumatur per os, tum etiam ore teneatur, uel è collo suspensus, tum denique quouis modo applicatus ad extra. Oritur in Syria, in India, in partibus Orientis, estq; diuersi, diuersus trini coloris.

Nam

Nam quidã glaucus est & fuscus, quidã glaucus fuscus & uiridis, alter uero albus et aliqualiter glauculus ui delicet similis colori uini albi, clari, hic inter cæteros est optimus, leuis, delicatus, mollis, absq; sapore, splendens ut lumen. Dosis eius quando per os recipitur est grana duodecim. Testificantur Rasis & Serapio Sæpius se suis compertũ habuisse temporibus, quod preciosissimus iste lapis omnes tam simplices quàm compositas medicinas, tum etiam cõpositas theriacas propria qualitate superauerit in resistendo uenenis. Inquit Hahamed ligetur in anulo insculpaturq; scilicet lapidi scorpionis imago, quum luna est in Scorpione respiciendo ipsum Ascendentem. Quo facto sigillentur cum eo thura quando luna fuerit in signo Scorpionis. Quod si postmodum huiuscemodi thuris puluerisati ad debitam quantitatẽ uenenato in potu dederis, tantum ualebit aduersus uenena quantum & proprius ipse lapis. Inquit Abdallahamarach hunc se uidisse lapidem quem comparasse ait filium Mamari, scq; in solutionem lapidis Cordubæ pallatium dedisse. Serapion ait eundem mirabilia operari non solum in hominibus sed & in cæteris quibusdam animantibus, primũ quod contingendo hoc lapide scorpionis aculeium deperdit pungendi potentiam. Præterea tritum mixtumq; cum aqua serpentisq; ori impositum occidere eum asserit.

Fuge cito, procul, ac tarde reuertaris.

CAP. XXV.

Reseruare uisum est ad libri calcem principaliũ hac in materia regularum declarationem. Fuge quantum potes hominum conuersationem & maxime quando es ieiunus. Sis semper remotus à socio adminus per spacium bicubiti, & in loco libero, aperto, & ab infecto (quum secum loqueris) remotior saltem per sex cubitorum interstitium, & sub diuo uel loco aëreo, & caue ne uentorũ flatus ab eo uersus te spiret. Inter te & ipsum sit sol, ignis, odores, uel tendens ad ipsum uentus, loca enim angusta simulq; turba hominum, ualde periculosa sunt. Hoc etiam commemoro quod parietum procinctu ac domuum contingentia & continuatione multiplicatur morbosa contagio. Super omnia suadeo ut citò ac procul fugias ab his locis quibus imminet pestis, tardeq; redeas. Dixi cito, hoc est quam primũ apparent signa proximæ pestis, quæ quidem signa sunt quando eius loci aër extra naturalem suam dispositionem esse uidetur, declinando ad calidum & humidum, quando nebulosus nubesq; densæ pulucrulentus apparet, uenti grosi & tepidi, ac etiam quando aquæ & agri fumant & olent, sic pariter & pisces mali sunt saporis atq; odoris. Quũ multa super terra ex putrefactione nata apparent animalia, fungorum & putridarũ herbarũ copia, terræ fructus et animalia insipida sunt & parũ cõseruantur, turbida efficiuntur

untur uina, multa et terrestria & aërea animalia ab eo loci recedũt, insolitæ oriãtur febres, latentes, furiosæ, continuæ, fallaces, cũ pectoris anxietate, cũ pulsus prosternatione, phreneſis, urinarum turbulentia, palati inteſtinorum excoriationes, oculorum rubedo, uermes, morbilli, multæ fœminarum conturbationes, iræ rabidæ, rixæ, dira bella, monſtra naturæ, mirandaq; uel naturæ uel à deo ſigna, inuiſa multum & rara. Hæc enim quæ diximus præſagia ſunt propinquæ peſtis, tunc igitur fuge antequam unus efficiaris de duodecim mille ſignatis. Id uero dupliciter fieri poteſt, ſcilicet uel quia iam captus eris cõtagione infectorũ, uel quia triſtem infecti aëris qualitatem iam receperis, ſic quod pedetentim fiat ille tibi familiaris aër, ita quod nec aëri natura, nec aër illi reſiſtet: uerũ ſi alienam ſubitò queſieris auram, abibit primus aër illiq; natura reſiſtet, & hic naturæ prouenit unde peſtis origo. Et etiam ut procul aufugias moneo, uideli cet ut ea te ad loca conferas quibus res, nec perſonæ, nec ſoni, ſtrepitus, rumores, quicunq; infecti loci ad te peruenire ualeant. Sicq; remotus eſto ut alti interme dient montes quibus uaporum prohibeatur acceſſus, ne uentorum flatu, uel aëris dilatatione te poſſint contingere. Cõſidera loci ad quem curris diſpoſitionem, & ſitum, uidelicet ne peſtilenti quouis modo ſit ſimilis aëri, utpote in calido, frigido, humido, ſiccoq;, nubibus, pluuijs, uentis, ſis deniq; tali in loco firmatus,

ut uenti, nubes, pluuiæ ſpirare, dilatari, abinde ad te moueri nequaquam poßint. Nec te hoc fugiat quod horoſcopus ſiue Aſcendens alicuius urbis uel caſtelli infectæ uel infecti ſæpius ad ea loca omnia peſtem extendit, quæ illi ab initio ciuitati uel caſtello ſubiacent, & quæ aliqualem eo cum Aſcendente cõformitatem habent. Tertio dicimus ut tarde reuertaris, quoniã pauxillula tranſacti morbi remanens infectio potens eſt ad eos perquam ſubitò maculandũ omnes, qui etiã haud intempeſtiuo fugã tempore cœperunt, quia maiori ſubſunt periculo qui locum frequentant infectum quum prius aufugerint, quàm hi qui ſemper ibidem, cum cautela tamen, permanſerunt, quoniam ſubita nouáq; male tolerat natura accidentia: & præter hoc diutißime quidem remanent hæ (ut ante diximus) qualitates in parietibus, lignamẽtis, ueſtibus, pannis quibuſq; et cæteris. Quantum uero ad ſolius aëris diſpoſitionẽ una ſufficit angaria, ita ut ubi ad tres menſes immunes ab hoc morbo omnes quicunq; ſunt perſtiterint, iudicari poteſt aërem iam ſore purgatum. Sed eſto cautißimus in appropinquatione & contactu eorum quæ plus aëre uenenum retinent. Procinctus fornacium in muris diutius ſeruant quàm ligna uenenoſam caliditatem, uerum purificando (ut ſæpius diximus) uidelicet cum ignibus, lotionibus, euentationibus, fumigiis, odoribus, & reliquis. Purificantur homines communiter ſpacio quatuordecim dierum:

domus,

domus, lignamenta & cætera in uiginti uno. Panni, ueſtimenta & huiuſmodi ſpacio dierum uiginti octo. His habeas temporibus ſeparata ad bibendum pariter & manducandum uaſcula, & lectiſternia quæq;, uel ſaltem ſi cætera non poſsis linteamina, reliqua lotionibus & fumigijs purificato. Equi, pecuniæ, ſupellectilia, ſarcinulæ & huiuſmodi, niſi admodum caute egeris, uenenum diu ſeruare ſolent, quare uigil, cautus & prudens eſto, cunctisque ordinatim prouideas.

MARSILII FICINI EPIDEMIARVM ANTIDOTI FINIS.

uictus ratione quolibet anni tem pore utili.



Perpulchrum fuerit etiam anni tempora in uictus ratione considerare. Hyeme quidē & fortiori exercitatione, & pleniore cibo utendum est, præcipue si tempestas Aquilonia fuerit. Si uero australis, similiter exercitari oportet, sed cibo potioniq; aliquid demere: atq; in totum per tempus humidum, omnino aridum reddere corpus: per frigidū uero, calidius, ac tum carnes esse oleraq; calidiora, atq; uinum bibere meracius.

Aduentante Vere, alius quidem per uomitum, alius per uentrem uacuetur, alius secta uena sanguinem mittat, prout cuiusq; fuerit uel cōsuetudo, uel animi promptitudo. Aestate confert quies, exercitatio remissior, atq; cibus exiguus, qui quidem ex frigidiore genere deligendus est: tum uero potioni adijcere, atq; quicquid refrigerare humectareq; possit, adhibere oportet. Per autumnum maiori cautela opus est, quippe qui usquequaque & inæqualis & inordinatus est, multiformesq; inducit morbos. Itaque ne circa refrigeratio nem quid peccetur cauendum est, à uenere quoque & frigida potione abstinendum. Neque uero aëri quis se credat, uel per matutinum frigus, uel per ardorem meridianum. Pomis impleri noxium est, non ob facietatem tantum, uerumetiam quoniam uitiosi humores inde nascuntur, atq; flatum quoque excitant, si quidem

omniū

omnium fructuum optimi ficus uuæq́; & flatum pariunt, & alimenta corrumpunt, nisi ante alios cibos assumantur: præassumpti uero neque inflant neque corrumpunt. Quũ frigescere cœperit aër, corpus pro frigoris ratione calefacere oportet, atque omnia facere ut quũ hyems iam processerit. Nec abre fuerit reuoluto æquinoctio uacuare corpus ex aliquo eorum quæ diximus, ne redundantia quædam per hyemem retenta, molestiam inferat.

DE VICTVS RATIONE SECVNDVM ANNI TEMPORA,

FINIS.

PALMA
BEB

Med. Hist.
WZ
240
F446dt
1529